SANCTI PATRIS NOSTRI

CYRILLI AR-

CHIEPISCOPI HIEROSOLYMORVM,
CATECHESES ILLVMINATORVM HIE-
rosolymis *XVIII.* & quinque
Mystagogicæ.

Quæ tempore quidem Hieronymi & Damasceni extabant, vt ipsi testantur: proximis verò aliquot seculis, in abstrusis quibusdam locis delitescentes, nunc primùm Latinitate donatæ in lucem prodeunt.

IOANNE GRODECIO P. ET I. V. D.
Decano Glogouiensi, Vratislauiensi Varmiensiq; Canonico, interprete.

COLONIAE,
Apud Maternum Cholinum.
M. D. LXIIII.

Cum Gratia & Priuilegio Cæsareæ Maiestatis in decennium.

WiMK?
Opole

388 st.

Akc. Nr 302/68/C

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, ET DOMINO, DOMINO CASPARI DEI GRATIA EPISCOPO VRATISLAVIEN. SVPERIORIS ET INFERIORIS SILESIAE Capitaneo, domino colendiſsimo.

Ioannes Grodecius Decanus Glogouien. Vratiſlauienſis Varmienſisq; Canonicus florentem Fœlicitatem.

CAtecheſeôn noſtri temporis, quæ nouæ ſem per ànouis authoribus cuduntur, plena ſunt omnia: per quas plerique omnes nouatores, opiniones ſuas de religione, imperitæ iuuentuti tradere, & vulgò ſpargere contendunt: Sed ſi quis eas cum veteribus patrum catecheſibus cõparare velit, δὶς λεγὸμενα πασῶν diſcrepare ab illis conſpicientur. Tutiùs autem ac multò conſultiùs fuerit, principia noſtræ religionis, è puris fontibus Patrum haurire, quàm turbidos degenerum filiorum riuulos conſectari. Quamuis enim noui homines iſti de puritate doctrinæ plurimùm glorientur, quam è ſacræ ſcripturæ fontibus, ſe hauſiſſe fingunt: ſi quis tamen ſano mentis oculo preſsiùs intueatur, nil niſi turbidum cœnum, & volubiles arenas, ſub ſplendido verbi Dei prætextu, ab illis ſpargi conſpiciet. Nam & cum ipſis ſcripturis ſacris ſanè intellectis: & cum orthodoxis Patribus, qui eodem ſpiritu quo ſcriptæ fuerant, interpretabantur ſcripturas, principia & progreſſus doctrinæ illorum minimè conueniunt: & ipſi inter ſe mutuò tam de myſterijs, quàm de alijs religionis dogmatibus vehementer diſcrepant. In qua varietate, & diſſenſione, puritas & veritas doctrinæ nequaquam conſiſtere poteſt. Verum enim nõ niſi vnum, & ſimplex eſſe poteſt: falſum autem, vt noſter inquit Cyrillus, varium eſt ac multiplex. Vnde iſta varietas catecheſeôn nata eſt, dum quælibet ſecta ſuis ſectarijs nouos tradit catechiſmos, nouas myſteriorum inſtitutiones, nouos ritus ſacrorum effingit. Quam varietatem & cõiunctam illi falſitatem, qui vitare vult, ad puritatem doctrinæ Catholicæ, & proxima creſcentis Eccleſiæ principia, recurrat neceſſe eſt, atque diligenter conſideret, quæ tum fuerint ſacræ inſtitutiones, quæ catecheſes, quę myſteriorum explicationes. Quod cùm ex alijs vetuſtiſsimis ſanctorum Patrum ſcriptis: tum verò ex his Cyrilli Hieroſolymitani catecheſibus perſpicere licet: quibus ille populum Hieroſolymi-

tanum ad pietatem instituebat, & ea sacrosanctæ fidei dogmata tradebat, quæ nunc à nouarum opinionum cultoribus vehemẽter conuelluntur. Quas quidem Catecheses, longè commodiùs esse puto, è tenebris in lucem proferre, & nostræ tempestatis hominibus passim legendas proponere, quàm nouas aliquas institutiones, vtcunque varijs elegantijs exornatas, describere. Authoritas enim & maiestas doctrinæ Christianæ, præclara est apud antiquos illos & orthodoxos antistites, qui sanam doctrinam, & veras traditiones Apostolicas, ritusque ecclesiæ à viris Apostolicis, instinctu spiritus sancti institutos, in orientali ecclesia docuerunt, & ad posteros deinceps literis mandarunt. Atque hoc studio antiquitatis & syncerę veritatis adductus ego, cùm ante aliquot annos in vrbe, apud Reuerendiss. & Illustriss. Dominum Stanislaum Hosium, Cardinalem Varnien. nunc S. sedis Apostolicæ in Concilio Tridentino de latere Legatum amplissimum, ac Dominum meum clemẽtissimum, nactus essem Græcum exemplar Catecheseôn Cyrilli Hierosolymitani Præsulis vetustissimi, manu scriptum, neque vnquàm anteà, quod sciam, in sermonem Latinum translatum, aut editum: facturum me nonnullum operæpretium putaui, si illud Latinitate donatũ, alijs quoq; syncerę pietatis studiosis passim legendum proponerem. In quo opere perficiundo cùm versarer, planeque iam illud peregissem, Reuerendiss. Dominus, D. Iacobus Vchanski Archiepiscopus Gnesnensis, legatus natus, regnique Poloniæ primas, antiquitatis, priscæque fidei studiosissimus, & in tuenda, propagandaque catholica religione vigilantissimus: posteaquàm intellexit, me Græcolatinas Cyrilli Hierosolymitani catecheses habere: (quas ille ante complures annos, Slauonum idiomate conscriptas, ex Macedonia, & Bulgaria nactus fuerat, & in linguam Polonicam trãstulerat) suũ exẽplar Slauonopolonũ earũdẽ catecheseôn pro sua benignitate mecũ cõmunicauit, atque vt trãslatio vtraq; vna cum origine Græca conferretur, diligẽter curauit. Quo factum est, vt ex mirabili quadam cõcordia diuersæ linguæ, & translationis, constans veritas institutionum commodissimè eluceseeret. Quamuis enim menda nõnulla, & hiatus, qui vitio librariorum committi solent, in vtroque exemplari non deessent: ex mutua tamen collatione sublatis illis, & quæ desiderabantur in integrũ restitutis: series orationis & doctrinæ, sic in omnibus concordabat, vt nulla superesse possit suspitio, quin istæ catecheses Cyrilli sint verisimæ, & veteri orthodoxæ doctrinæ coniunctissimæ. In quibus transferendis veritatis maiorem, quàm elegantiæ rationem

tionem habẽdam putauimus, vt quàm proximè ad phraſim Cyrilli accederemus. Nam vbi verba diuina, & ſacra traduntur myſteria, periculum eſt, & grande nefas, procul ab ipſis verbis recedere, & ſplendori potiùs orationis, quàm proprietati ſimplicis doctrinæ ſtudere. Cùm autem mihi probè perſpectum ſit, Antiſtes, & D. Reuerendiſsime, quãtæ iam curæ, & ſolicitudines animum tuum afficiant, quantum elaborare ſtudeas, vt pro tua diuina vocatione, ſanctoque officio paſtorali nouas iſtas ſectariorum nimium vulgatas inſtitutiones, & doctrinas dæmoniorum, ex patria, diœceſiq; tua extirpare, & veterem diſciplinam religionis catholicæ introducere queas, cumque me quoque exiguum clientem, in hac diœceſi tua ſingulari beneficio afficere, & in vineã Domini aſciſcere non dubitaueris: opportunum eſſe putaui, veteres haſce Cyrilli Catecheſes, Celſitudini tuę dicare, vt ſub tuo ampliſsimo nomine, & authoritate in lucem prodeant, & potiùs quàm peſtiferæ nouatorum catecheſes à iuuentute priſcæ fidei ſtudioſa, paſsim lectitentur. Nam cùm pro tua præclara vigilantia paſtorali, ab alijs collegis meis crebris adhortationibus exigere id non dubites, vt non torpeſcant otio, ſed verbi Dei prę-conum fungãtur officio: me quoque ſingularis hęc pietas tua, & ſtudium religionis catholicæ propagandæ vehementer commouit, ita vt primo quoque tempore tam pijs illis admonitionibus, cuperem lubens ſatisfacere: ſed cùm nondum adſit eius rei præſtandæ facultas, & alio me nunc trudat legum neceſsitas, has interim Cyrilli Catecheſes, in quibus confirmandæ catholicæ doctrinæ cauſa, pro mea virili elaboraui, tibi pientiſsime Præſul, qua ſumma poſſum animi mei ſubmiſsione offero, atq; dedico. Quas vt benignè acceptare, & reliqua ſtudia mea fauore tuo proſequi non graueris, etiam atq; etiam ſubmiſsè peto. Quis autem fuerit author hic Cyrillus, & quo tempore floruerit: tum quæ ſit ratio ſcritorũ illius, ex his quę ex Scriptoribus eccleſiaſticæ hiſtoriæ de vita illius collegi, inferiùs patebit.

DE CYRILLI VITA.

Cyrillus Hieroſolymitanus inter veteres Eccleſiæ Patres ſanctos illos verè catholicæ & Apoſtolicæ doctrinæ aſſertores, ac propugnatores clariſsimus antiſtes recenſetur: nã & compluribus ex illis Eccleſiæ columnis æqualis, multis etiam antiquior fuit, doctrinam verò orthodoxam communem cum omnibus catholicis habebat. Claruit ante mille ducentos, & amplius annos, temporibus Conſtantij Imperatoris, & aliquot eius ſucceſſorũ. Quod multis in locis plerique Scriptores eccleſiaſticæ hiſtoriæ, vt Socrates, Theodoritus, Sozomenus, & alij demonſtrant, & honorificam ſemper illius faciunt mentionem. A quibus etiam Nicephorus id accipiens, & catalogum Patrum, qui circiter tempora Sardicenſis Concilij floruerunt (quod de Conſtantij & Conſtantis voluntate inſtitutum erat) longa ſerie recenſens: inter cæteros æquales Cyrilli, magnæ authoritatis vnà cũ illo, & clariſsimos fuiſſe ſanioris doctrinæ defenſores, commemorat, Paulum Conſtantinopolitanũ, Athanaſiũ Alexandrinũ, Antoniũ Aegyptiũ, vnà cum vniuerſo Aegyptiorũ monachorũ cætu. Deinde ſubdit: Multi denique alij ſpectati viri eiſdẽ annis viguere, atq; in Eccleſijs Dei enituere. Inter quos præcipuè eruditiõe & eloquẽtia floruit Euſebius Emeſenus Epiſcopus, Titus Boſtrẽſis, Serapion Tmuæus, Baſilius Ancyranus, Eudoxius Germanicenſis. Acacius Cæſariẽſis, Euſebij ſucceſſor, Cyrillus, qui poſt Maximũ Hieroſolymitanã adminiſtrabat eccleſiã, & Theodorus Perintius, tum & Ephraim Syrus. Hæc & alia permulta ſcribit eo in loco Nicephorus, de claris & catholica pietate excellentibus illius ſeculi viris: inter quos cùm & Cyrillus Hieroſolymitanus recenſeatur, quæ ſit & quanta illius authoritas, facilè quiuis perſpicere poteſt. Legitur quoque de eodem Cyrillo, non modò alijs virtutibus vero Epiſcopo dignis illum fuiſſe præditum: verumetiam dono prophetiæ non caruiſſe. Nam cùm Iulianus Imperator, vt ſcribit in eccleſiaſtica Hiſtoria Socrates Iudæis templum Hieroſolymis inſtaurare iuſſiſſet, & de publico ſumptus ſubminiſtraſſet: tum temporis Cyrillus Hieroſolymorum Epiſcopus, memor vaticinij Danielis prophetæ, quod & Chriſtus in ſanctis Euangelijs confirmauit, ac multis futurum prædixit, quod in eo templo lapis ſuper lapidem non maneret: hoc, inquit, Seruatoris oraculum adimplebitur. Quum hoc dixiſſet Epiſcopus, noctu terræmotus magnus factus, lapides fundamentales veteris templi ſtructuræ euulſit, ac cũctos vnà cum contiguis ædificijs diſperſit. Et cùm multi ad miraculum Iudæi conueniſſent, ignis cœlitùs delapſus, cuncta artificum inſtrumenta conſumpſit. Sequenti verò nocte ſigna crucis, inſtar radij ſolaris ſplendentia, veſtibus illorum impreſſa comparuerunt, quæ extergere nullo pacto potuerunt. Hæc adeò ſtupẽda prodigia, vnũ illud Cyrilli verbũ, diuino, planéq; prophetico ſpiritu prolatum, conſequuta ſunt. Neque verò his tantùm in terra prodigijs, prædi-

Lib. 9. ca. 14. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ.

Lib. 3. ca. 20.

prædictionem eius confirmare: verumetiam in cœlo longè maiori miraculo Episcopatũ illius Deus illustrare dignatus est. Nam illo Præsidẽ sacrorum Hierosolymis, signum CRVCIS in cœlo ex lumine, super sacrum montem Caluariæ diebus Pentecostes, hora ferè diei tertia apparuit, & sole tũc lucente radios solis, illius Crucis fulgores longè præcelluerunt, ita vt lucis illius excellentia, vniuersus populus Hierosolymitanus concitatus, maxima cum admiratione, signum illud filij hominis aliquandiu spectauerit. Nam & magnitudine Crux illa fuit tanta, vt quindecim stadia excederet, ab ipsóque sacro Golgotha, ad montem vsque Oliueti protenderetur: & luce tanta, vt non modò Christiani omnes istic illustratos seſe, confirmatosq; sentirent: verumetiam Iudæi ac Gentiles aduenæ, ab erroribus tenebrarum auersi, illuminarentur, & crucifixum verum esse Deum profiterentur. Quẽadmodum ipse Cyrillus optimè id describit in Epistola sua, quam de eodem admirando signo, ad Constantium Imperatorem dederat: Et Nicephorus in historia Ecclesiastica idẽ pluribus commemorat. Ita sanè tum chorusca-bat Hierosolymis verbum Dei, multò ampliùs quàm hisce nostris postremis temporibus apud nos, non modò prædicatione Cyrilli, verumetiam virtute Dei, sequentibus tam admirandis signis.

Successit autem Cyrillus in Hierosolymitana Episcopa Maximo, & ipse quoq; istic maximus fidei catholicæ defensor erat. Sic enim scribit Theodoritus: Sed Hierosolymis post Macarium illũ cuius nõ semel fecimus mentionẽ, præsulatũ gerebat Maximus, vir in propugnãda pietate excellẽs, & oculũ dextrũ ideò amiserat, & incisũ habebat dextrũ brachiũ. Hoc & ipso inexpertẽ senectutis vitã transgresso, collata dignitas Episcopalis gratiæ Cyrillo fuerat, promptissimo defẽsori apostolicorũ dogmatũ. Qua de causa maximas etiã passus est persecutiões ab Arrianis. Nã cũ animaduertissent illũ vehemẽter hæresibus obstare, & apostolica dogmata adeò strenuè tueri, cõgestis quibusdã calũnijs, in quodã conciliabulo suo, accusare illũ, & deinceps, ita vt alios permultos catholicos Episcopos more suo deponere non dubitarunt, idque ex negotio pietatis illius erga egenos, quæsito prætextu, vt author est Sozomenus. Cæterùm Episcopi catholici centum quinquaginta, qui non ita multò pòst Seleuciam ad Synodum conuenerant, depositionem illam ratam non habuerunt, vt testatur Theodoritus: imò ipsum potiùs aduersarium illius, & authorem depositionis Acatium, quàm Cyrillum, ab illa Synodo excludere maluerunt. Nicephorus verò de eiusdem Seleucianæ Synodi actis, & de Acatianis scribens: Neque eandem, inquit, cum alijs fidem profiteri, neque ad obiecta crimina respondere sustinuere. Quinetiam ad Cyrilli Hierosolymitani causam audiendam inuitati, quem ipsi Episcopatu abire iusserant, non affuere: neque enim qui eos cogeret, aderat quisquam. At alteri illi (nempe catholici) non modò liberè hæc egerunt, sed Acatium, & quicunque ad eum confugissent, quippe qui intentata eis crimina diluere

Lib. 5. cap. 3. Eccles. hist.

Lib. 4. ca. 25. Eccles. hist.

Cap. 26. Eccles. hist.

timuissent, dignitate priuarũt. Ex his patet, quanta fuerit Cyrilli integritas, quem ne accusare quidem coram legitimis Iudicibus aduersarij veritatis audebant, sed tantùm apud suos sectarios, quorum adeò tum creuerat potentia & audacia, cùm intelligerent Imperatorem suarum esse partium, vt ipsi nihilominus quos semel iniquè deposuissent, iniquius vi & armis de suis sedibus exturbarent, & alios pro arbitrio suo substituerent. Quemadmodum accidit & Cyrillo, quo de sede Hierosolymitana deiecto, Heraclius est illi substitutus, vt ait Nicephorus, atque huic rursum successit Hilarius. Isti nanque vsque ad Theodosij imperium, eam ecclesiam administrasse traditi sunt. Post quos diuus Cyrillus deinceps sedem suam recuperauit. Quomodo autem is denuò ad sedem suam peruenerit, & quo pacto in ea sese gesserit, ex literis Synodi Constantinopolitanæ (quæ Nectario præside sub Theodosio celebrata est) ad Damasum, Ambrosium, & reliquos Episcopos Romæ coactos, videre est, cùm scribunt: In ea verò ecclesia, quæ aliarum omnium mater est, Hierosolymis Reuerendissimum, & Deo amantissimum Cyrillum Episcopum esse scimus, ritè iamdudum à prouincialibus Episcopis electum, qui sanè diuersis in locis plurimùm aduersus Arrianos decertauit. Epiphanius quoque libri 3. tomo. 1. hæresi 73 Cyrilli huius meminit, quod præter Acatium Arrianum, cum alijs quoque illius sectæ Episcopis contendere religionis ergô non dubitauit. Et Hieronymus in catalogo Scriptorum ecclesiasticorum de illo scribit: Cyrillus Hierosolymæ Episcopus sæpè pulsus Ecclesia & receptus, ad extremum sub Theodosio Principe octo annis inconcussum Episcopatum tenuit. Itaq; ex his, & alijs permultis ecclesiasticorum Scriptorum testimonijs certum est, Cyrillum fortissimum Christi athletham, & orthodoxæ fidei assertorem constantissimum, multis annis pro veritate fidei decertasse, persecutiones varias pertulisse, atque hoc bonum certamen certasse, à primis ferè annis Constantij Imperatoris, vsque ad complures annos Theodosij: Cursum autẽ suum tum demùm consummasse cùm Theodosius deuicto Maximo Tyrãno (qui Romanum imperium in Occidẽte inuaserat) rebus Romanis rectè constitutis Constantinopolim reuersus, filios suos Arsenio erudiendos traderet, vt scribit Nicephorus. Eadem tempestate Timotheus & Cyrillus, qui in Alexandrinæ & Hierosolymitanæ ecclesiæ thronis enituerant, vita defuncti, alter quidem Alexandriæ Theophilum, alter autem Hierosolymis Ioannem successorem habuit, vsq; ad tempora Anastasij & Innocentij Pontificum Romanorum. Ioannis verò successor erat Hierosolymis Nepos. Hactenus Nicephorus. Et Cyrillus quidem ita vt legimus, bonum certamen certauit, cursumq; vitæ suæ consummauit: Deceterò autem reposita est illi corona gloriæ, quam retribuet illi iustus iudex. Quàm præclaram autem, & sanctam sui memoriam apud posteros etiam reliquerit Cyrillus, tum scripta illius quæ extant: tum Orientalis ecclesiæ fasti, seu Calendaria, in quibus preces anniuersariæ, & commemora-

Lib. 9. ca. 49.

Niceph. li. 12. cap. 16.

tiones

tiones sanctorum descriptæ sunt, abundè testantur. Nam vt aliorum Patrum, qui in sanctorum cœtu clariores habentur: ita huius quoque Cyrilli Hierosolymitani, die decima octaua Martij, in ecclesijs Græcis sancta celebratur memoria. Ac scriptis quoque illius apud Græcos, nomen sancti patris præfixum vbique reperitur.

DE SCRIPTIS CYRILLI.

Cyrillia vocata fuisse in Orientali ecclesia scripta Cyrilli Hierosolymitani, narrat Necephorus, & alij scriptores non pauca fuisse testantur. Cùm enim vir doctus & eloquẽs esset, & tot annis præfuisset ecclesiæ Hierosolymitanæ, in qua non modò singulis diebus Dominicis, vt ex eius institutionibus perspicere licet: verumetiam singulis diebus per totam quadragesimam concionari consueuisset: proculdubiò & catecheses, & conciones illius longè plures sunt literis mandatæ, quàm quæ ad nos peruenere. Hæc enim præcipua erat consuetudo Patrum illius temporis, præsertim qui inter alios eruditione, & eloquentia præclari erãt, vt quæ ad populum verba fecissent, ea etiam literis mandarent: vt certa orthodoxæ fidei, & doctrinæ illorum ratio constaret, & hæreticorum falsæ opiniones, tam concionibus, quàm scriptis, etiam post fata scriptorum confutarentur. Quòd si qui ita essent occupati, vt ipsis manu sua, quæ animo concipiebant, & populo tradebant, exarare non vacaret, certos amanuenses studiosos habebant tam celeri calamo verba notantes, vt conciones illorum integras, eadem qua dicebantur serie orationis conscriberent. Quod quidem Græcis illis duplici de causa præstare, non fuit difficile: nam & dictionum ferè omnium mirificas habebant abbreuiationes, quarum vix aliqua pars ad nos peruenit: & Patres illi sancti prædicando verbum Dei, magna quadam cum maiestate, venerationeq; lentè pronuntiabant, vt populus venerando sermone magis afficeretur, & commodiùs quæ dicerentur perciperet, memoriaque teneret. Quamobrem facilè tum quoque fuit, scribis amanuensibus, & studiosis alicuius præclari concionatoris, singula verba calamo excipere. Quod sanè Cyrillo quoque concionante facilitatum esse, tum Græca quædam annotatio vetustissima, quam catechesibus eius affixam reperi: tum ipsa inscriptio catecheseôn, quæ extemporaneæ, seu extempore dictatæ vocantur, clarè testatur. Sic autem dicit annotatio illa: Multæ quidem & aliæ dictatæ sunt institutiones à Cyrillo, singulis annis, & ante baptismum, & post baptismum, his qui recèns fuerant illuminati. Has autem cùm dicebantur, trecentesimo trigesimo secundo anno, aduentus Domini nostri Iesu Christi, quidam studiosi excipientes descripserunt, in quibus magna ex parte reperies, secundum scripturas, de omnibus necessarijs fidei dogmatibus, quæ expediat venire in cognitionem. Ex qua annotatione id quod superiùs commemorauimus patet, & alia cõplura Cyrillia dictata, seu scripta extitisse: & has quæ ad nos peruenere,

quæ-

quæq; nunc in lucem prodeunt catecheſes decẽ octo, & Myſtagogicæ quinque, à ſtudioſis illius inter dicendum literis eſſe mandatas, ab ipſo autem Cyrillo deinceps proculdubiò recognitas, (quarum etiam Hieronymus facit mentionem, & extitiſſe eas Catecheſes Cyrilli tempore ſuo dicit, quas in adoleſcentia compoſuerat.) Atque vel hac etiam de cauſa extemporaneas inſcribi: quòd non longa meditatione, verborumq; fuco expolirentur: ſed ſimplici puraque puri verbi Dei interpretatione, prout ſpiritus dabat eloqui illi, ad captum populi accõmodarentur. Id vel ex ipſa phraſi Cyrilli, & orationis compoſitione agnoſcere licet: quæ non perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed virtute verbi Dei nititur. Non enim philoſophicis hic vtitur argumentationibus: non ſapientũm huius ſeculi grandiloquas profert opiniones: non ſui capitis, quemadmodum noui catechiſtæ noſtri temporis ſolent, ſomnia, & phantaſmata inculcat auditoribus, ſed purum putum Dei verbum annuntiat, merasque crepat ſcripturas: non in priuatum aliquem prauumque ſenſum detortas, ſed iuxta ſenſum & conſenſum illius, quæ tum florebat orthodoxæ catholicæque eccleſiæ. Vnde manifeſtè appareret, non priuatæ opinionis aliquos catechiſmos illum inſtituiſſe, neque ſuam aliquam nouã doctrinam populo tradidiſſe: ſed eam quam à Iacobo Apoſtolo anteceſſore ſuo, & ab alijs Apoſtolis per manus traditam acceperat: quam ab eccleſia catholica didicerat: quam recenti martyrum ſanguine confirmatum intellexerat. Neque verò minorem propterea catecheſes iſtæ authoritatem habere debebunt, quòd extemporaneæ vocantur: quin potiùs multò maiorem orthodoxæ religionis, & ſanctæ inſpirationis certitudinem retinebunt. Nam quæ per longi temporis meditationem ex mente hominis ſcriptitantur, rectè commentaria vocantur, vel eò quòd plerunque humana commenta, & menda permixta habent: Cùm enim perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis nitantur, plus carnis, quàm ſpiritus, plus fuci, quàm veri cãdoris habere ſolent. Quæ verò ex tempore ad proximi ædificationem in verbo Dei inſtructiones fiunt, ab ipſius inſpiratione proficiſcuntur, qui dixit, non vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri loquetur in vobis. Et: Nolite cogitare quid loquamini: ſed in illa hora dabitur vobis, quod loquamini. Et hoc perſæpè vſu venire videmus, vt optimi quique concionatores, cùm non peruerſo aliquo ſtudio, ſed zelo Dei ducuntur, quando ad populum verba faciunt, longè commodiùs plerunque quàm fuerant meditati, animi ſenſa ſui eloquuntur. Quandoquidẽ non iam ſuo, ſed ſpiritu Dei aguntur, & loquuntur ſine vllo reſpectu perſonarum magnalia Dei, prout ſpiritus dat eloqui illis. Atque hoc etiam Cyrillo contigiſſe, cùm haſce diuinas inſtitutiones in cathedra Moyſi ſedens dictaret, & populo traderet Hieroſolymitano, certius eſt, quã vt dubitari poſſit. Cernimus enim in his, quã plenus erat diuinis eloquijs, quàm copioſus in proferẽdis ſcripturis, quã animoſus in cõfutandis hæreticis, quàm fortis rectorum Eccleſiæ catholicæ dogmatum

propug-

propugnator. Ac in prioribus quidē octo & decem catecheſibus φωτιζομένους eos, qui recenti fide in Chriſtū erant illuminati, inſtruit de rebus ad baptiſmum pertinentibus, & cum primis agit de agnitione peccati, quod germen liberi arbitrij eſſe docet: tum de confeßione, quæ baptiſmum in adultis præcedere ſolebat: quin & exorciſmos commendat plurimùm, & quam vim aqua baptiſmatis habeat oſtendit. Deinde dogmata eccleſiæ catholicæ, ſummatim pleraque omnia proponit: quæ poſtremò vnà cum vniuerſo ſymbolo Apoſtolico latiùs explicat & interpretatur. In poſterioribus verò quinque Myſtagogicis inſtitutionibus, his qui iam ad ſolidiorem aliquantò doctrinam erant aptiores, ſolidum cibum tradit, diuinaque explicat myſteria, de baptiſmo, Chriſmate, Euchariſtia, & tremendo Miſſæ ſacrificio. Commemorat autem ferè omnes eas cæremonias, quæ & nunc in Eccleſia catholica in exhibendis iſtis ſacramentis obſeruari ſolent, vt ſunt: Renuntiare Sathanæ & omnibus operibus eius, ſymbolum fidei profiteri, Chriſmate perungi in baptiſmo. Manus abluere, oſculari inuicem, angelorum, omnisque cœleſtis militiæ facere cōmemorationē, ſanctos inuocare, pro viuis & defūctis orare, & ſacrificiū Chriſti corporis & sāguinis offerre, in tremēdo Miſſæ ſacrificio. In omnibus autē his ſacris inſtitutionibus, non ſuam aliquam priuatam, ſed publicam, puramque eccleſiæ doctrinam, ſacris oraculis confirmatam, ac ab Apoſtolis traditam defendit: hæreticorum nugas & errores oppugnat, & his qui recèns in Chriſti militiam nomina dedere, tyronibus, aduerſus Iudæos & gentiles Græcos, contra hæreticos, & antichriſtos arma porrigit. Quibus armis etiam aduerſus noſtri temporis hæreticos, veteres errores renouantes, fortiter pugnare, & victores euadere poterimus. Vſus eſt his etiā armis Cyrilli Ioannes Damaſcenus contra Iconomachos, vt videre licet in libro 3. apologetico pro veneratione ſanctarum imaginū, vbi inter alias orthodoxorum patrum authoritates, citat etiam ex 12. Catecheſi hæc verba Cyrilli: Cauſam igitur ſi Chriſti aduentus quæris, recurre ad primum ſcripturarum librum. Sex diebus Deus creauit mundum, ſed mundus propter hominem & alia complura, vſque ad ea verba. Imago lignea terreni regis honoratur, quantò magis rationalis imago Dei. Vnde etiam liquet eaſdem catecheſes Cyrilli in Orientali eccleſia olim tempore Damaſceni extitiſſe, quæ nunc poſt multa ſecula in Occidentali & Latina Eccleſia primùm eduntur Latinè: non ſine nutu, & prouidentia quadam diuina, vt quo tempore ferè indies exoriuntur noui hæretici, veteres hæreſes renouantes: eodem quoque inter alios ſanctos patres prodeat in medium Cyrillus, & in acie Dei viuentis conſiſtens, ſuo etiam præclaro priſcæ catholicæque fidei teſtimonio os hæreticis obſtruat. Obmuteſcant itaque, vt cum Cyrillo lequamur, & pudefiant noſtri temporis hæretici, qui negant liberum arbitrium, & inducunt ſtoicam quandam rerum omnium neceſſitatem: cùm videāt hæc ſua dogmata, in illa primitiua eccleſia, ante tot ſecula etiam à diuo Cyrillo, Dei

verbo

verbo oppugnata & hæreseos damnata. Obmutescant hæretici, qui negant opera nostra requiri ad iustificationem: qui tollunt confessionem peccatorũ: qui vitam cælibem, & virginalem coronam, exercitationemq; monasticam stultè reprobant: cùm & Cyrillum legamus, hæc quidem ad cœlum vsq; tollentem, & angelicæ vitæ æquantem: illa verò maxima regni cœlestis præmia, habere confirmantem. Dispereant hæretici omnes, qui ritus & sacramẽta Ecclesiæ catholicæ tollũt, & humanas esse, pernicioſasq; traditiones, nuper adeò à Pontificibus quæstus causa excogitatas nugantur: cùm videamus vel Cyrillo teste, in illa veteri catholica & Apostolica ecclesia, ritus illos & mysteria sacrosancta, tanquàm verbo Dei consentanea, & ab ipsis Apostolis instituta, ac per manus tradita, deinceps semper obseruata fuisse. Obstupescant Sacramentarij, qui blasphemant verum corpus & sanguinem Christi, sub speciebus panis & vini: cùm tam disertis verbis doceat Cyrillus, veritatem hanc, quam omnes asserimus Catholici, vt iubeat non modò intellectum, verùmetiam sensus omnes captiuare in obsequium fidei, & plus credere veritati, de veritate corporis sui dicenti, Hoc est corpus meum, quàm sensibus renuntiantibus falso, hic est panis quem sentimus simplex. Obmutescant denique omnes hæretici, & dispereant doctrinæ illorum, qui tollunt sacerdotium & sacrificium: qui tremendum Missæ officium, impia lingua proscindunt: Cùm olim ante mille ducentos & triginta annos, vt indicat Cyrillus, in Hierosolymitana ecclesia, idem quod nunc fit in Romana, in sacro Missæ officio, fuerint commemorationes & inuocationes sanctorum, orationes & obsecrationes, pro viuis & mortuis, incruentum denique illud sacrificium Christus Iesus Dei filius, Deo patri, pro peccatis tam viuorum quã mortuorum offerebatur. Hæc & alia eiuscemodi veteris & orthodoxæ ecclesiæ dogmata, aduersus erroneas hæreticorũ opiniones tradit & defendit Cyrillus, in his quæ nunc Latinæ primum isto seculo, in lucem prodeunt catechesibus, quas omnibus veritatis studiosis legendas proponimus. Scriptum Tridenti durante Concilio œcumenico die nona Iulij. Anno domini. M. D. LXIII.

INDEX

INDEX RERVM

MEMORABILIVM, IN GRATIAM LECTORIS ACCVRATE CONGESTVS, IN QVO

a significat superiorem, b inferiorem paginæ cuiuslibet partem.

A

Aaron, typus Christi. 75.a
Abrahami filij ut simus. 40.a
Abrenunciatio in baptismo quid sit. 188.a
Adoptio diuina non nisi uolenti datur. 61.a
Aduentus Christi ad iudicium quàm erit terribilis. 139.b
Aduentus Christi duplex. 131.a
Aduentus Domini secundus ut prædictus à Salomone. 139.a
Angeli longè plures quàm homines. 141.a
Angeli quatenus uideant Deum. 45.a 60.b
Animæ uirorum & mulierum similes. 31.b
Animantia omnigena in arca quid mysticè. 161.b
Animantium uis & diuersitas. 69.b
Anima quid, & cuiusmodi sit. 31.b
Anna uidua apud Lucam, monialis fuit. 78.a
Antichristus ipsissimum Sathanæ organum. 136.b
Antichristus Iudæis præcipuè gratificabitur, ut eos fallat. 136.b
Antichristus non uera, sed commentitia signa faciet. 136.b
Antichristus permissu Dei regnabit. 138.a
Antichristus qualis erit. 135.a.b
Antichristus quando ueniet. 135.b
Antichristus quanto tempore regnabit. 136.a 137.b
Antichristus quos potissimùm persequetur. 137.a
Antichristus sibi Romanum usurpabit imperium. 135.b
Antichristus ut se geret. 135.b
Apostoli excellentiùs atque Prophetæ, Spiritu sancto repleti. 164.b 165.a
Apostoli potiores Prophetis. 129.a
Apostoli ut Spiritu sancto baptizati. 163.a
Aqua baptismi unde sanctificetur. 20.a
Aqua cuius sit præstantiæ. 20.b
Aqua in omnibus crescentibus. 148.b
Aqua uiuens quæ sit. 148.b
Aquæ encomia. 20.b
Arbitrium liberum hominis. 31.a 32.a
Ascensio Christi testimonijs adstruitur. 128.a
Astrologis non habenda fides. 31.b
Astrorum quis usus. 67.b

B

Baptisma percepturis quid faciendum. 1.2.19.a.b 20.a
Baptismi encomia. 6.b
Baptismi mysteria exponuntur. 187. &c.
Baptismi quanta uis. 24.b
sine Baptismo non est salus. 20.a
in Baptismo quanta conferatur gratia. 171.b
Baptismus duplex. 110.b
Baptismus flaminis, fluminis, &c. 22.b
Baptismus non potest repeti. 3.b
Baptismus quid præstet. 192.b
Baptismus ut prosit, quid agendum. 1.a.b
Bonitas Dei quanta. 13.a.b 14.b

C

Cœli innouabuntur. 132.b
Cœlum, deitatis est uelum. 65.a
Cœlum ut sit ex aquis. 66.a
Caluaria unde dicta. 111.b
Castitas & uirginitas docetur à Spiritu sancto. 152.a 153.b
Castitas quam habeat coronam. 101.a.b
Castitas ueneranda. 101.a
Catechesis, instar est ædificij. 4.b
Catecheses quid præstent. 4.b
Cathedra Moysi quid significet. 97.a
Catholica, proprium Ecclesiæ ueræ nomen. 182.a
Character Baptismi. 171.b
Chrisma consecratum quam habeat energiam. 194.a 195.a

Chrisma in Baptismo iam olim adhibitum. 191.b
Chrisma in ueteri lege typus, in noua ueritas. 195.a
Chrisma quibus membris in Baptismo illinatur, & quare. 194.a b
Chrisma quid significet. 193.b
Chrisma ut intemeratum seruetur in nobis. 195.a
Christiani qua ex causa olim ab ethnicis accusati, quòd infantes occiderent & manducarent. 147.a
Christiani ut dicantur Christi. 193.b
Christianorum nouum est nomen. 77.a
Christianus meritò quis dicatur. 194.b
Christi gemina natura. 28.b
Christi nomen ut iam olim multi usurparint. 30.a
per Christum facta sunt omnia. 86.b 87.a
Christophori ut efficiamur. 196.b
Christus cur ad nos descenderit. 47.b
Christus cur ad inferos descenderit. 29.a
Christus cur baptizatus. 23.a
Christus cur incarnatus. 92.b &c.
Christus habuit duos patres. 80.b
Christus quale uerbum. 82.b
Christus quando in carnem uenerit. 94.b 95.b
Christus quid sit. 27.b
Christus quomodo post iudicium subiectus erit patri. 143.b
Christus uerè passus. 103.a.116.b
Christus ut fiat omnibus omnia. 72.b
Christus ut homo factus. 28.a
Christus ut sit ex Patre genitus. 84.a
Christus ut sit omnium dominus. 74.a
Cognomen Dei ut accipiant homines. 3.a b
Columba in arca Noe cuius typum gesserit. 161.b
in Columbæ specie cur descenderit Spiritus sanctus. 161.b
Confessione exuitur uetus homo. 8.b
Confessionis efficacia. 16.b.17.a
Confessio ut facienda. 9.b
Confessio ut olim antecesserit Baptismum. 2.
Constantinus templum Hierosolymis condidit. 127.b
Coronatio Christi typica fuit, & quid significarit. 109.a
Corpora nostra resurgent. 34.b
Corpora qualia resurgent bonorum & malorum. 179.b
Corpora sanctorum etiam extincta quid uirtutis habeant. 178.b
de Corpore hominis quid sentiendum. 32.b
Corpus humanum quàm sit admirabile Dei opus. 70.a
Corpus suum quis seruet ab iniquitate. 172.b
Creaturæ Dei ut sint admirandæ. 66. &c.
in Creaturis suis laudandus Deus. 68.a
Cruce ut nos in omni negotio signare debeamus. 29.b
Crucifixus horrori est dæmonibus. 103.a
Crucis lignum particulatim toto orbe distributum. 28.b.78.b.103.b
Crux Christi formidolosa dæmonibus. 116.b
Crux Christi gloria ipsius. 104.a
Crux Christi præcipua gloriatio nostra. 102.a
Crux Christi quàm efficax. 102.a b.118.c
Crux exprimenda manu. 111.a
Crux fundamentum fidei. 117.a
Crux in cœlo ut apparebit. 118. a.205.a
Crux in iudicio extremo cur apparebit. 139.b.140.a
Crux quando inuenta, & ubi. 203.b &c.
Crux quibus terror, quibus gaudium. 140.a
Crux uerum Christi signum. 139.b
Crux ut apparuerit Hierosolymis. 204.a
Crux ut fronti imprimenda in omnibus. 116.a
Cultus diaboli quis. 189.a
Curiositas in diuinis uitanda. 83.a.86.a

D

DAuidis peccatum, & pœnitẽtia, etiam remisso iam peccato. 15.a. b
Desperatio omninò cauenda. 12.b.13.a
Deus corporeis oculis uideri non potest. 65.a
Deus incomprehensibilis. 44.b. &c.
Deus nusquàm & ubique. 46.b
Deus pro dignitate laudari non potest. 44.a
Deus quid & cuiusmodi sit. 26.b. &c. 45.
Deus totus mens, totus oculus, totus auditus. 46.a
Deus ut excæcet. 54.a
Deus ut sit pater Christi & noster. 59.b.85.b
Diabolus cur se transfiguret in angelum lucis. 25.b
Diabolo cur sinatur tentare homines. 63.b
Diabolus hominem obsessum quàm misere diuexet. 150.b. &c.
Diabolus princeps peccati, sed tamen sua sponte ruit. 12.a
Diabolus ut & angelos & homines traxerit in peccatum. 12.b

Diabolus ut sit pater impiorum. 61.a
Diaconi 7. primogeniti Ecclesiæ. 166.b
Dies passionis Christi, neque dies neque nox. 112.a
Dij gentium cuiusmodi fuerint. 47.b
Discessio à Paulo prædicta qualis erit. 134.b
Diuitiæ non sunt diaboli. 64.a
Diuitiæ ut possint iustificare. 64.a
Dogmata sana sine bonis operibus infrugifera. 26.a
Donec & usque, ut sint accipienda in scripturis. 144.a

E

EBrietas sobria quæ sit. 165.a
Ecclesia cur sic uocetur. 181.a
Ecclesia cur dicatur Catholica. 180.b
Ecclesia malignantium, id est, hæreticorum. 182.a
Ecclesiæ Catholicæ encomia. 56.b
Errores de Deo. 26.b 27.a. 46.a
Euangelium quod dicitur Thomæ, cuius sit. 55.a
Eua sine matre. 99.b
in Eucharistia panis & uinum uerè transeunt in corpus & sanguinem Christi. 194.a. 196. &c.
Eucharistia, panis supersubstantialis. 200.b
Eucharistia quàm reuerenter sumenda. 202.a
Exorcismi à baptizandis studiosè suscipiendi. 3.b
Exorcismi ante baptismum quàm salutares ac necessarij. 3.b 4.a
Exorcismi fugant dæmonem. 4.a

F

FIcum cur maledixerit Christus. 109.b
Fidei uis & energia. 39.a. 40.b
Fideles unde uocentur Christiani. 3.a b
Fides aliorum ut alijs prosit. 40.b
Fides duplex. 41.b
Fides Ecclesiæ sola seruanda. 42.a
Fides sola non iustificat. 142.b
Fides ut omnia in mundo consistant. 38.a
Filij Dei uaria nomina, & quid significent. 71.b
Filij Dei ut simus. 59.b &c.
Filius, non pater apparuit Prophetis. 129.b
Fons signatus, & uitæ, Christus. 120.a
Fructus ut ferendus. 19.b

G

GEneratio Christi ex Patre qualis 81.a b
Generatio diuina creaturis omnibus ignota. 82.b
Gloria Patris & Filij indiuisa. 43.b
Glorificatio Christi duplex. 104.b
Gratia cur per aquam detur. 20.b
Gratia multiplex Spiritus sancti. 149.a
Gratia ut acceptanda, & seruanda. 9.b

H

HAEreses ut uitari possint, noscendæ. 48.b (135.a
Hæretici, antecursores Antichristi. 134.b
Hæretici, hostes Christi. 48.a
Hæretici occulti. 134.b
Hæretici odio habendi. 51.a
Hæretici ut fallant. 26.a
Homines iam inde ab initio, & deinceps quàm fuerint uitijs corrupti. 90.b
Homo quid sit. 31.a
in Horto crucifixus Christus. 120.a

I

IAcobus primus Hierosolymorum Episcopus. 127.a
Idololatræ ad quantam insaniam deuoluti. 47.a
Ieiunia cur fiant. 34.a
Iesus Naue ut fuerit typus Christi. 75.a
Iesus quid Hebræis, quid Græcis significet. 76.a
Imago Dei in homine honoranda. 90.a
Imago Dei in homine permansit, similitudo obscurata est. 121.b
Immersio trina in Baptismo quid significet. 192.a
Imperium Romanum, uirga ferrea. 95.a
Impij non resurgent in iudicio, ut intelligendum. 177.b
Incarnatio Christi ut ab hæreticis impugnata. 89.b
Inimicitia quædam bona. 148.a
Ioannis Baptistæ encomia. 21.a
Ioannes Euangelista dictus Theologus 88.b
Ionas in uentre ceti magno miraculo uixit. 125.a
Ionas, typus Christi. 125.a. 126.a
Ioseph cur sit dictus pater Christi. 60.a
Iudæi falsum Christum recipiunt. 89.a

Iudæi tardi ad fidem, prompti ad cõtradictionem. 104.b
Iudas poculum benedictionis bibit. 104.a
Iudicium omne ut datum sit Filio. 141.b

L

LAtro in cruce illuminatus diuinitùs. 114.a
Latro quantam in cruce adeptus gratiam. 114.b
Leges humanæ obligant. 169.a
à Lege ueteri quatenus simus absoluti. 168.b
in Linguis igneis cur apparuerit Spiritus sanctus. 164.a
Locus aduentus Christi. 96.a

M

MAli ut se fingant bonos. 25.b
Manes hæreticus captus & excoriatas in Perside. 54.b
Manes hæreticus quis fuerit, & quid docuerit. 51.b 52.a.b.&c.
Manes hæreticus quo tempore fuerit. 51.a
Manes hæreticus seipsum paracletum appellauit. 52.b.
Manes omnium impijssimus hæreticus quid docuerit. 147.b
Manichæi negant Christi resurrectionem. 126.a
Manichæorũ hæresis quis primus author. 51.b
Manichæorum nefãdi errores, blasphemiæ & turpitudines describuntur. 55.a.b.&c.
Manus & earum lotio mysticè quid. 198.a
Marcion quid docuerit. 49.b.147.a
Mare suos habet limites. 68.b
Maria quatenus uxor Ioseph. 100.a
Martyres tempore Antichristi erunt omnium excellentissimi. 137.b
Martyrion locus resurrectiõis Christi. 120.b
Matrimonium cur ineundum. 33.b
Matthæus Euangeliũ scripsit Hebraicè. 124.a
Membrum corporis nullum turpe. 98.a
Milites accepta pecunia Christi resurrectionem traduxerunt. 123.b.
Miracula crucis Christi. 102.a.b
Misericordia Dei quanta. 13.a
Missa, est sacrificium. 199.b.&c.
Missa qualis olim Hierosolymis in usu fuerit. 198.&c.
in Missa quid agatur. 198.&c
Manasticæ exercitationis typus Ioannes Baptista. 24.b
Montanus quid docuerit. 147.a
ut Mors ita & uita per unum 102.b.113.a
Mors territa Christi ad inferos aduẽtu. 125.b
Mundus propter hominem factus. 90.a
Mundus qua anni parte conditus. 121.b
Mundus renouabitur. 132.a
Moyses typus Christi. 187.b
Moyses ut Christum uiderit. 73.a.&c.
Mysteria Ecclesiæ quibus non sint promenda. 5.a.7.b
Mysteria ethnicis non reuelanda. 54.a

N

NAbuchodonosoris impietas. 17.b. item confessio. 18.a
Nomina Filij Dei uaria, & quid significent. 71.b
Nox quæ habeat commoda. 67.a

O

OLympias quid sit. 95.b
Opera bona conciliant uitã æternam. 183.b
Opera bona & mala suam habebunt mercedem. 140.b
Opera bona quando non prosint. 26.a
Opera in iudicio extremo ostendent qualis quisque sit. 142.a
Opera in iudicio uel damnabunt, uel saluabũt. 142.a
Opera Satanæ quæ sint. 188.b
Operum bonorum merces multa. 10.a
Orandum sæpè. 7.a
Oratio Dominica explicatur. 200.a.&c.
Ordines Ecclesiæ. 182.b
Ordo in omnibus seruandus. 24.a
Osculum sanctum quod. 198.b

P

PAnis supersubstantialis quis. 200.b
Paracletus cur dicatur Spiritus sanctus. 152.b
Parentes ut honorandi. 61.b.&c.
Pater ab æterno genuit Filium. 58.a
Patientia Dei. 63.a
Passio Christi olim cũ dolore celebrata. 118.b
Passio Christi uoluntaria & non ob aliquam culpam ipsius. 103.b.104.a.115.b.
Paulus cur præ alijs Apostolis plures scripserit epistolas. 77.b.
Paulus quanta egerit uirtute Spiritus sancti. 168.&c.
Peccata nostra non uincunt bonitatem Dei. 13.a.14.a

Peccata ut profligãda. 11.b
Peccatorum uenia quî obtineatur. 3.b
Peccatũ ex libero arbitrio proficiscitur. 11.a.b
Peccatum ut uulneret corpus & animã. 180.a
Petrus Apostolorum princeps. 18.a.167.b
Petrus, cœli clauiger. 49.b 129.a.167.b
Petrus princeps Apostolorum, & supremus Ecclesiæ præco. 80.a
Phœnix quis ut euidenter probet resurrectionem futuram. 175.a
Pietatis ratio in duabus sita. 25.b
Pœnitentia conciliat salutem. 14 a 15.b
Pœnitentiæ fructus. 21.b
Pœnitentiæ quanta uis. 16.b 17.a
Pompa diaboli quæ sit. 188.b
Potestas Ecclesiæ indefinita. 182.b
Prædicatio Christiana cuiusmodi sit. 105 b
Principes mundi subsunt Ecclesiasticis. 161.b
Principium Filij, Pater. 86 a
Prophetæ Christum nouerunt. 76.b
Prophetæ quàm certa prædixerint. 106.b

R

REgnum Christi æternum. 143.a
Reliquiæ sanctorum honorandæ. 178.b
Resurrectio adstruitur. 173. &c.
Resurrectio à quibus negetur. 172.b. &c.
Resurrectio corporũ quàm facilis Deo. 173 a
Resurrectionis Christi testimonia. 119.b
Romanum imperium, uirga ferrea. 95.a
Romanum imperium omnium maximũ. 136 a

S

SAcerdotes Christi abstinent à muliere. 97 b & 98.a
Sacrificium Missæ pro quibus fiat, & ut prosit uita functis. 199.b & 200 a
Sancti etiam occulta uident. 151.b
Sanguis & aqua cur fluxit de latere Christi. 110.b 111.a
Satisfactionis, quæ est tertia pœnitẽtiæ pars, exemplum insigne. 15.a b
Schismata muniunt uiam Antichristo. 134.a
Scientia in diuinis præcipua quæ sit. 43 b
Scythianus Saracenus author errorum Manichæorum. 51 b
Sedes Christi à dextris Patris incomprehensibilis. 129.a
Septuaginta interpretes ut transtulerint, & ubi sacras scripturas. 36.a
Sepulchrum Christi quale. 116.a
Sepulchrum Christi ut sit immutatum. 121.a
Signa aduentus Christi. 133.b
Signa ueri Messiæ. 92.a
Signum paradoxum esse debet. 96.b
Simon Magus cur damnatus. 147 b &c.
Simon Magus hæresum omnium author. 49 a
Simon Magus Petri & Pauli precibus ex aëre in terram prostratus. 49.a
Simon Magus se Deum trinum uocauit. 49.a
Simon Magus ut Romanos seduxerit. 49.a
Sol admirandum Dei opificium. 66.b
Sol quando occiderit in meridie. 112.b
Spectacula uitanda. 188.b
Spes resurrectionis, radix omnis boni operis. 172.b
Spiritus etiam Pater & Filius dicitur. 171.a
Spiritus per manuum impositionem in lege dabatur. 155.b
Spiritus sanctus à Patre & Filio procedit. 160.a
Spiritus sanctus conditor noui Testamenti, liberauit nos à legis oneribus. 168.b
Spiritus sanctus cur baptizare in igni dicatur. 161.a
Spiritus sanctus cur descenderit in columbæ specie. 161 b
Spiritus sanctus cur uocetur oleum exultationis. 194.a
Spiritus sanctus diuidit sua dona, sed ipse in donis non diuiditur. 158.b
Spiritus sanctus personas non accipit. 165 b
Spiritus sanctus qualis sit ignis. 163.b
Spiritus sanctus quàm celeriter doceat quidquis. 164.a
Spiritus sanctus quàm uarias habeat operationes. 150 a 154.a. &c. 156.a
Spiritus sanctus quàm mira operatus sit in, & per Apostolos. 166.a.b. &c.
Spiritus sanctus quid efficiat in homine cui illabitur. 151.a
Spiritus sanctus quid sit. 30.b 145.b 155.b
Spiritus sanctus uaria dat dona. 149 a 155 b
Spiritus sanctus uarias habet appellationes. 159 a
Spiritus sanctus unus est. 145.a
Spiritus sanctus ut conseruet martyres. 153.a
Spiritus sanctus ut insufflatione datus Apostolis. 162.b
Spiritus sanctus ut totam penetret animam. 163.a
de Spiritu sancto quàm cautè loquendũ. 145 a
de Spiritu sancto uarij errores. 146.b
Spiritus uocabulum multis accommodatur. 149.b
Stephanus ut uiderit cœlos apertos. 167.a

INDEX.

T

Templa cur à regibus extructa olim & ornata. 123.b.
Templum Apostolorum iam olim Hierosolymis fuit. 146.a
Tempus resurrectionis Christi prædictum. 121.b
in Tentationem ingredi quid sit. 201.a
Terra quàm uarias producat res. 68.b
Testamenti noui libri. 37.a
Testamenti ueteris libri. 36.b
Testes Christi multiplices. 18.a
Testes multi resurrectionis Christi. 127.a
Testes passionis Christi. 117.a
Testimonia passionis Christi. 106.a &c.
Traditiones seruandæ. 42.b
Trinitas aderit in iudicio. 141.b
Trinitas inseparabilis. 145.b.146.a

V

Valētini hæretici nugæ & blasphemiæ. 50.a.b
Valentinus 30. deos prædicauit. 50.a
Velum templi cur scissum. 115.a
Ver, tempus creationis mundi. 121.b
Vestibus ut utendum. 34.b
Vestimenta alba mysticè quæ. 19.b
Vinum nouum mysticè quod. 164.b
Virginem parere non est impossibile. 98.b
Virginitas & castitas præcipuam habebit coronam 140.a
Virginitas par angelis. 56.b
Virginitatis magna merces. 33.a
Vita æterna multis obtinetur modis. 183.a
Vnum ut sint Pater & Filius. 84.b
Voluntas hominis exigitur à Deo. 1.a.13.a
Voluntas mala abijcienda ante baptismi perceptionem. 2.b
Voluntatem Deus intuetur. 9.a

FINIS.

ERRATA IN NVMERIS.

Post paginam 82. corrigatur numerus in quatuor paginis. Item post paginam 153. corrigatur numerus in 5. paginis.

PROCATACHESIS,
SIVE PRAEFATIO CATECHESEON
SANCTI PATRIS NOSTRI CYRILLI
ARCHIEPISCOPI HIEROSOLYMORVM

ΚΕ ΕΥΛΟΓΗΣΟΝ.

IOANNE GRODECIO INTERPRETE.

IAM est beatitudinis odor in vobis, ô illuminati: iam spiritales colligitis flores ad plectendas cœlestes coronas: iam spiritus sancti spirauit fragrantia: iam circa porticum regalis palatij fuistis, vtinam verò & ab ipso rege introducamini. Flores nũc arborum apparuerunt: vtinam verò & fructus perficiatur. Nomina iam in Christi militiam vocati dedistis, & sponsales lampades vobis donatę, & regni cœlestis desiderium, bonumq; propositum, & spes subsequens. Neque enim falsus est qui dixit: quòd, Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. Liberalis namque est Deus, & pronus ad beneficẽtiam: expectat tamen cuiuslibet propriã voluntatẽ. Propterea subiecit apostolus: Secundum propositum vocatis sanctis. Propositũ cùm adest proprium, vocatum te facit: nam etiamsi corpus hîc habeas, mẽtem verò non adhibeas, nihil tibi proderit. Accesserat aliquando Simon Magus ad hoc lauacrum, Baptizatus est, sed non illuminatus: & corpus quidem lauit aqua: cor aut nõ illustrauit spiritu. Descendit quidem corpus & ascendit, anima verò si non est consepulta Christo, neque cum illo resurrexit. Equidẽ profero exempla casuum humanorum, ne & tu cadas: hæc enim in figura contingebant illis, scriptà sunt autem in admonitionem eorum, qui hodie quoque huc accedũt: ne quis vestrum reperiatur, qui tentet Dei gratiam: ne aliqua radix amaritudinis sursum germinans perturbet vos: ne quis vestrûm hæc dictitans ingrediatur: Sine videamus, quid agant fideles: ingressus videbo, & discam ea quæ fiunt, visurum te proposueras, videri verò te non putabas? Et existimas tè quidem ea quæ fiunt apud fideles, penitus perscrutari, Deum autem cor tuum non perscrutari? Scrutabatur olim quidam nuptias illas, vt est in Euangelijs, & vestem capiens minimè decoram, ingressus accubuit & comedit, admittebat enim ostiarius: Sed oportebat ipsum, cùm videret omnes splendidè vestitos,

eiuſcemodi quoq; capere amictũ: verũ ille, cibũ quidẽ vna cũ alijs ſumebat æqualẽ, inæqualẽ aũt ornatũ & propoſitũ habebat. Atqui ſpõſus, quãuis liberalis, nõ tamẽ indiſcretus. Circuiens nãq; ſingulos cõuiuas, & circũſpiciens, (curabat enim, non quomodo comedebant, ſed quomodo eſſent ornati) vidit quendã externũ, non habentẽ veſtẽ nuptialẽ, dixitque illi: Amice, quomodo huc intraſti? quo colore: qua ſcientia? Eſto: oſtiarius non prohibuit, propter eius liberalitatẽ, qui exhibuit conuiuiũ. Ignorabas quali amictu ingrediẽdum eſſet ad conuiuiũ, ſit ita ſanè. Sed cùm iam intraueras, vidiſti ſplendida diſcũbentium veſtimenta, nónne te oportuit, vel ex his quæ cernebas diſcere? nõne opportunè te ingredi fuerat neceſſe, vt opportunè exires? nunc autẽ importunè intraſti, vt importunè eijciaris. Et iubet miniſtris: Ligate pedes illius, confidenter intrãtes: ligate & manus ipſius, quæ ſplẽdido illũ neſcierũt ornare veſtitu, & pijcite ipſum in tenebras exteriores. Indignus enim eſt, qui ſponſales lampades ferat. Vides quid tum illi acciderit? caue ergo tibi. Nos enim, qui ſumus miniſtri Chriſti, quemlibet ſuſcipimus, & tãquàm in ordine oſtiariorum conſtituti, apertum eſſe ſinimus oſtium: permiſſum eſt tibi, etiã contaminatam peccatis habenti animam, & ſordidam voluntatem intrare: intraſti, eo loco dignus habitus, nomen tuum inſcriptum eſt. Aſpice venerandum hoc eccleſiæ inſtitutum: circumſpice ordinem & diſciplinã, ſcripturarum lectionem, regularium præſentiam, & doctrinæ ſeriem: reuerearis locum, & eruditaris ex his quæ apparent. Exi potiùs nunc opportunè, vt cras ingrediaris opportuniſsimè. Si auaram, cupidamque habes animæ formam, exue illam & ingredere. Exue ſcortationem, & indue ſplendidam temperantiæ ſtolam. Ego te admoneo, priuſquàm Ieſus, animarum ſponſus ingrediatur, & amictum tuum videat: ſatis longum habes interuallum, cùm pœnitentia dierum quadraginta tibi datur: habes magnam opportunitatem, & exeundi & abluendi, ac rurſus induendi, atque intrandi. Sin autem in mala voluntate perſeueraueris, ille quidem, qui te admonet, vacat culpa, tu verò fruſtrà exiſtimas te gratia potiturum. aqua enim te capiet, ſed ſpiritus non recipiet. Si quis vulneris alicuius ſibi conſcius eſt, emplaſtrum accipiat: ſi quis cecidit, reſurgat, nullus ſit inter vos Simon, nullus ſimulator, nulla huius rei curioſitas. Contingit & alio prętextu eo venire. Fieri poteſt, vt vir cupiẽs mulieri complacere, vel ea de cauſa ingrediatur: Idem de mulieribus dici poteſt. Et ſeruus ſæpè domino, & amicus amico placere voluit. Capio ineſcatum hamo, & recipio te, malo quidem

Veſtes nuptiarũ ſplendidæ.

Qui audacter intrauerunt. Seu ingreſſi ſunt.

κανονικῶς παραχρῆσαι ρησίαν.

quidem proposito venientem, spe autem bona saluatum. Fortassis ignoras, quò venis, cuiusmodi te capiat rete: incidisti in retia ecclesiastica, viuus captus seruaberis, ne fugias: captat enim te Iesus, non vt occidat, sed vt cæsum viuificet: nam & mori te, & resurgere oportet, audisti apostolum dicentem: Mortui quidem peccato, viuentes autem iustitiæ. Iam ab hodierna die vitam agēs considera, quantam tibi Iesus dignitatem contulerit: catechumenus vocabaris, foris subsistens: audiebas spem, & nesciebas: audiebas mysteria, & non intelligebas: audiebas scripturas, & profunda illarum ignorabas. Nunc verò non ampliùs foris, sed intùs sonas: (hoc est, iã non ampliùs superficie tenus discis, vocẽ exteriorẽ hominis audiens: sed intus etiã spiritu sancto doceris.) inhabitans enim spiritus, diuinas deinceps ædes in mente tua edificat. Cùm audieris ea, quæ de mysterijs sunt scripta, tunc intelligis quæ nesciebas. Neque verò rem exiguam te accipere putes: homo enim cùm esses miserandus, Dei cognomen accipis. audi Paulum dicentem: Fidelis Deus. audi aliã scripturam: Deus fidelis, & iustus. Hoc præuidens psaltes, inquit in persona Dei, quandoquidem homines Dei cognomen essent accepturi: Ego dixi, dij estis, & filij altissimi omnes. Sed caue ne sit cognomen tantùm fidelis, infidelis autem volũtas. Ingressus es in certamen, perfice cursum, aliud tempus eiusmodi non habebis. Si tibi dies nuptiarum proponerentur, an non relictis cæteris rebus omnibus, de apparatu conuiuij esses sollicitus? Sanctificaturus autem, seu desponsaturus animam cœlesti sponso, an non postpones corporea, vt accipias spiritalia? Non licet bis aut ter, hoc lauacro vti, vt si fortè semel fueris eo frustratꝰ, deinceps corrigas: si enim semel illo frustraberis, ampliùs id correctionem non patitur: vnus enim dominus, & vna fides, & vnum baptisma. Nam soli hæretici rebaptizantur: si quidem prius illud non erat baptisma.

Retia Ecclesiastica.

Homo Dei cognomen accipit.

Rebaptizantur hæretici

Nihil aliud à nobis Deus requirit, præter voluntatem bonam: ne dixeris, quomodo mea delebuntur peccata? ego affirmo tibi, quòd volendo, & credendo. Quid autem his facilius? Si verò labia quidem tua dicant se velle, cor autem neget: scrutator est cordium ille, qui iudicat. Cessato iam hodierna die, ab omni turpi negotio: non proferat lingua tua obscœna verba, non peccet ampliùs oculus tuus, neque commoditatibus inhiet, & insistat: festinent pedes tui ad Catecheses audiendas.

Volendo & credendo peccata remittuntur.

Exorcismos studiosè suscipe, etiamsi inspiratus iam sis, & exorcisatus: salubris enim est tibi res ista. Nam vt rude, infectumque aurum, vel adulteratum, multisque alijs commixtum mi-

Exorcismi sunt salubres.

neris,vti cum ære,ſtanno,ferro,plumbo,ſi cupimus aurum tantùm habere, non poterit illud ſine igne ab diuerſis à ſe metallis purgari:ſic absque exorciſmis anima progredi non poterit. Diuini enim ſunt,ex diuinisque ſcripturis collecti. Velatus eſt vultus tuus,vt mens tua vacet,neúe oculus vagus efficiat, vt & mẽs vagetur:clauſis verò oculis, aures minimè impediũtur ſalutaria ſuſcipere. Quemadmodum enim aurifabri,per quædam ſubtilia inſtrumenta,ſufflantes ventulum igni, & aurum in fornace conflantes, excitantesque propoſitam flammam, id quod quærunt, reperiunt. Sic cùm exorciſtæ per ſpiritum ſanctum incutiunt timorem,& in corpore tanquã in fornace animam accendunt:fugit tunc inimicus Dæmon, adeſt autem ſalus * & ſpes vitæ æternæ aſsiſtit: denique anima repurgata à peccatis,ſalutem conſequitur. Perſiſtamus ergo in ſpe fratres, atque illi nos tradentes certò ſperamus,vt Deus vniuerſorum, voluntatem noſtram videns,mundet nos à peccatis,& ſpem nobis bonam ſemper de rebus noſtris præbeat,& donet nobis pœnitentiã ſalutarem. Deus enim vocauit,tu verò vocatus es.

Exorciſmos fugit dæmon.

** & qui permanſerit habet ſpẽ vitæ æternæ.*

Catecheſeon vſus.

Perſeueres in catecheſibus, etiamſi longo ſermone producantur, ne fortè aliquãdo mens tua deficiat. Arma enim accipis contrà aduerſarias poteſtates: arma capis aduerſus hęreticos,aduerſus Iudæos & Samaritas,& ethnicos. Multos habes hoſtes, multa tela accipe. Cum plurimis haſtâ concurris. Opus ergo eſt diſcere, quomodo trãsfigas Græcum, quomodo pugnes cõtra hęreticũ, cõtra Iudęum,& Samaritã. Et arma quidẽ parata ſunt, gladiusq; ſpiritus promptiſsimus: dexterã verò per bonã voluntatẽ extendere neceſſe eſt,vt bellum domini cõficias, & vincas aduerſarias facultates: vt à nullo deinceps hæreticorum conatu ſuperari poſsis. Accipe hanc admonitionẽ, vt ea quæ in catecheſibus traduntur,ſic diſcas, quò poſsis ea in perpetuum cuſtodire. Non exiſtimes inſtitutiones iſtas eſſe ſimiles homilijs. Quamuis & illę bonæ ſint, & fide dignæ: verùm ſi quid in illis hodiè neglexerimus,cras diſcere poterimus. Hæc verò,quæ de lauacro regenerationis per ordinem tradimus documenta, ſi hodiè neglexeris, quando tandem corrigentur? Exiſtima tempus id eſſe plantationis arborum, quo niſi fodiamus & inſeramus, quando tandem poterit rectiùs plantari,quod ſemel eſt malè plantatum? AEdificium quoddam eſſe intelligas catecheſim,ac niſi ordine vinculis conſtringamus ſtructuram, ne quid laxum & hians reperiatur, debile fiet ædificium:ſed eſt operepretium, lapidi lapidem apponi,& angulum angulo coniungi, atque ſuperfluis abſciſsis,

Catecheſis eſt veluti ædificium.

per-

perfectas ædes efficere. Ad eundem modum, adferimus tibi tanquam lapides cognitionis: audire oportet de Deo viuente: audire opus est de Christo: audire necesse est de resurrectione, & alia permulta ex ordine dicenda sunt: quæ nunc tantùm summatim recensentur, deinceps verò suo loco satis explicabuntur. *Si vel vnum ex his non perceperis, etiamsi primorum aut secũdorum memineris: ædificator quidem benè ædificat, tu verò fluxum & debile habebis ædificium.

*Sed post parietũ erectionem, nisi alterum alteri colligaueris, ac nisi priorum & posteriorũ memineris.

Cùm autem Catechesis recitatur, si * catechumenus ex te quæsierit: quid dicebant doctores: nihil dicas *extra: mysteria enim tibi, & spem futuri seculi tradidimus. Custodi hoc mysterium retributori, nec vnquam dicentem aliquem audi: quid obest, si & ego didicero? Etiam ægroti vinum quandoque postulãt, quod si intempestiuè illis detur, phrenesim cõciliat: & duo hinc nascuntur mala: nam & æger interit, & medicus malè audit. Sic & * catechumenus, si audiat mysteria à fideli, * phrenesim patitur: nescit enim quid audiuerit, & tamen arguit rem ignotam, dictaque irridet: fidelis verò tanquàm proditor condemnatur. Iam ergo tu in finibus nostris constitutus, caue ne quid effutias: non quòd digna non sint narratione ea, quæ ibi dicuntur, sed quòd indignus est ille audire, cui referres. Fueras & tu aliquando catechumenus, neque tamen proposita mysteria tibi enarrabantur. Quando autem sublimitatem eorum, quæ nunc traduntur, experientia didiceris, tunc planè intelliges dignos non esse catechumenos, qui ea audiant.

*tentator
*externo

Mysteria Ecclesiæ extra non proferenda.

*tentator
*Impostor esse incipit

Mysteria nocet aliquibus nosse.

Vnius matris filij & filiæ facti estis omnes, quicunq; hîc nomina dedistis. Cũ ante horã exorcismorũ ingrediemini, vnusquisq; vestrũ pietatis verba proferat: & si quis vestrûm aberit, perquirite. Ad cœnam si vocatus fueris, nónne expectares alium pariter vocatum? fratrem si haberes, nónne & fratri benefacere velles?

Ne sis deinceps curiosus in rebus vanis: ne quæras quid fecerit oppidũ, quid Rex, quid Episcopus, quid egerit sacerdos: sursum respice, tempus hoc ipsum exposcit. Vacate & cognoscite quia ego sum Deus. Si videris fideles in ministerio securos, rem certam tutamque habent, sciunt quid acceperint, gratiam susceperunt. Tu verò adhuc in bilance aut consequendi, aut non consequendi, consistis. Ne imiteris illos, qui nulli vacant meditationi: ac reuerentiam adhibe cum fit exorcismus: quousque alij exorcizati aderunt, viri cùm viris, & mulieres cum mulieribus. Nunc enim opus est proponere exemplum arcæ Noæ, in qua erat & vxor eius, & vxores filiorum, ac filiæ eius: siquidem & arca

Curiositas vitanda.

Exorcismi reuerenter audiendi.

erat vna,& ostium clausum. Sed quid hæc significabant? Si concluſa est Ecclesia,& vos omnes intus:*hæc tamen seperantur,viri vt sint cum viris,& mulieres cum mulieribus:ne studium salutis,sit perditionis occasio. Etsi enim pulchrum sit institutum, proximum assidere proximo,sed procul tamen sint affectiones. Tum verò assidentes viri, librum aliquem vtilem habeant, & alius quidem legat, alius verò audiat:si autem desit liber, alter oret,alter boni aliquid dicat.Conuentus porrò virginalis sic congregetur,vt vel psallat,vel oret,vel legat, ita vt labia quidem loquantur,vox autem ad alienas aures non perueniat. Mulierem enim loqui in Ecclesia non permitto.Et nupta quoque similiter agat,& oret labia mouendo,vt nascatur Samuel,vt sterilis anima tua,pariat exaudientis Dei salutem. Samuel enim ita sonat. Videbo cuiusque studium,videbo cuiuslibet deuotionem. Accendatur mens ad pietatẽ, excitetur anima, excutiatur durities infidelitatis, decidant superflui scabriciei cortices, & maneat sola sinceritas: detergatur ferri erugo, vt maneat proprius splendor. *Cùm vobis ostendet Deus noctem illam, & tenebras in die apparentes,de quibus dictum est: Tenebræ non obscurabuntur à te. Quando vnicuique vestrûm porta paradisi aperietur :quando ex aquarum vsu, Christofororum, hoc est, Christum ferentium, prosperitatem habebitis:cùm appellationem Christi,& rerum diuinarum virtutem accipietis. Iam verò mentis oculos aperite,iam choros angelicos recogitate,& dominum vniuersorum Deum præsidentem, & filium vnigenitum in dextra illius assidentẽ,& spiritũ simul persistentẽ. Thronos autẽ & dominationes ministrantes, & quemlibet nostrũ saluatum & saluatam. Iam auribus vestris, quemadmodum instruebamini, personet vox illa pulcherrima: quando saluatis vobis angeli concinent: Beati quorum remissæ sunt iniquitates: quando tanquàm*columbæ, splendida specie, lucenteque anima ecclesiam Dei ingrediemini.

*Verùm istæ res diuersæ sunt.

Virginũ conuẽtus & oratio submissa

*Tunc

*sydera

Baptismi encomia.

Magnum est sanè propositum hoc baptisma: captiuitatis liberatio,peccatorum remissio,mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum cãdidum, signaculum sanctum,& indelebile,currus ad cœlum,delitiæ paradisi, regni cælestis conciliatio, charismaque adoptionis filiorum. Cæterùm draco circa viam transeuntes obseruat:caue, ne te veneno infidelitatis inficiat. videt tot saluatos, & quærit quem deuoret. Ad patrem spirituũ ingrederis,sed per illum draconem transis. quomodo igitur illum præteribis? Indue pedes tuos apparatu Euangelij pacis, vt etiamsi te mor-

te mordeat, nihil noceat. Fidem habeas inhabitantem & firmam ſpem, calceum fortem, vt prætereas hoſtem, & ad dominum intres. Cor tuum præpara ad ſuſceptionem diſciplinæ, & ſanctorum myſteriorum communicationem. Frequenter ora, vt Deus te dignum efficiat: neque interdiu, neque noctu ſis otioſus, & cùm ſomnus ab oculis receſſerit, tunc mens vacet orationi. Si quam turpem cogitationem in mentem tuam venire animaduerteris, ſuſcipe iudicij ſalutarem commemorationem: intende animum ad diſcendũ, vt rerum turpium obliuiſcatur. Si videris aliquẽ dicẽtẽ tibi:* ingredere aquã vt ſubmergaris, adhuc ciuitas balnea non habet. Agnoſce draconem marinum hæc tibi obijcere: non loquentis attẽdas verbis, ſed operantis. Cuſtodi animam tuam vt ſis irreprehenſibilis, vt in ſpe perſeuerans, hæres vitæ æternę fias. Nos quidem hæc tanquam homines & adhortamur, & docemus, ne veſtrum ædificium ex fœno, ſtipula, & paleis conficiatis, ne cùm opus arſerit, detrimentum patiamini: ſed vt ſit opus veſtrum, aurum, argẽtum & lapides pretioſi. Meum eſt dicere, tuum verò agere, Dei autem perficere. Intendamus mentem, dirigamus animam, præparemus cor, de anima enim nobis certamen eſt, æternasque res ſperamus. Potens eſt autem Deus, qui nouit corda veſtra, & ſcit qui ſit verus, qui verò ſimulator: germanum quidem ſuum ſeruare, hypocritam verò fidelem efficere. Poteſt enim Deus facere fidelem, ſi modò cor illi prębuerit, & factum contra nos chirographum delere. Obliuionem autem vobis tribuet rerum priorum, atq; Eccleſiæ vos inſeret, & induens vos armis iuſtitiæ ſibi deliget, cœleſtibusq; rebus ac noui teſtamenti replebit, & ſpiritus ſancti ſignaculum indelebile dabit in ſempiternum: in Chriſto Ieſu domino noſtro, cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Orandum ſæpè.

** cur aquam illam ingrederis. exi hinc. an non ſunt balnea in ciuitate?*

AD LECTOREM.

Catecheſes iſtas illuminatorum, accedentibus quidem ad baptiſmum, & his qui hoc lauacrum habent, iam fidelibus, legendas exhibeas: catechumenis verò, & alijs qui non ſunt Chriſtiani, ne dederis: alioquin redditurus es domino rationem.

SANCTI

SANCTI PATRIS NOSTRI CYRILLI ARCHIEPISCOPI HIEROSOLYMORUM prima Catecheſis, ſeu inſtitutio illuminatorum Hieroſolymis extemporanea: introductoria ad baptiſmum. Et lectio ex Eſaia: Lauamini, &c.

NOVI teſtamenti diſcipuli, & myſteriorum Chriſti participes, nunc quidem vocatione, paulò pòſt verò & gratia, cor nouũ vobisipſis facite, & ſpiritum nouum, vt ex eo lætentur cœleſtes. Si enim ſuper vno peccatore, vt eſt in Euãgelio, fit gaudiũ, quantò magis tot animarum ſalus ad lætitiam cœleſtes mouebit? Bonum iter & pulcherrimum capeſſendo, cautè curſum pietatis percurrite. Ad veſtram enim liberationem paratus adeſt vnigenitus Dei filius. Venite, inquiens, omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Qui grauitate delictorum eſtis circundati, & ligati cathenis peccatorum veſtrorum, propheticam vocem dicentem audite: Lauamini, mundi eſtote, auferte prauitates veſtras ab animabus veſtris, coram oculis meis, vt angelicus vobis chorus, acclamare poſsit: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Qui fidei lampades nuper accendiſtis: nunc non extinctas eaſdem manutenendo cuſtodite, vt qui latroni paradiſum, in hoc ſanctiſsimo monte Golgota, per fidem aperuerit, vobis quoque id prętet, quò poſsitis canticum ſponſi cantare. Si quis eſt hîc ſeruus peccati, paratus ſit per fidem, ad ingenuam adoptionis filiorum regenerationẽ peruenire, & pręcidens peſsimam peccatorum ſeruitutem, atque in beatiſsimum domini obſequium ſeſe tradens, dignus cẽſebitur, regnum cęleſte hęreditate poſsidere. Exuite veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum concupiſcentias erroneas: exuite autem per confeſsionem, vt induatis nouum, eum qui eſt renouatus, per agnitionem eius qui creauit illum. Arrabonem ſpiritus ſancti poſsidete per fidẽ, vt recipiamini in æterna tabernacula: accedite ad myſticum ſignaculum, vt ſitis bene noti domino. Recenſeamini in ſancto & ſpiritali grege Chriſti, ad dexteram eius ſegregati, atque paratam vobis vitam hæreditate poſsideatis. Quibus adhuc peccatorum *aſperitas adhæret, iſti à ſiniſtris conſiſtunt, eò quòd ad gratiam Dei non accedant, quæ datur per Chriſtum, in huius lauacri regeneratione. Regenerationem autem dico non corporis, ſed animæ ſpiritalem renouationem.

Confeſsione exuitur vetus homo.

*cupiditas.

Cor-

Corpora enim per eos, qui videntur parentes, generantur: animæ verò, per fidem regenerantur. Spiritus enim vbi vult spirat. Atque tum si dignus eris, licebit tibi audire: Euge serue bone & fidelis: nempe cùm nihil impuri, nihil simulati in tua conscientia repertum fuerit. Si enim quispiam ex his, qui hîc adsunt, tentat gratiam Dei, seipsum decipit, & virtutem diuinam ignorat. Caue simulatam mentem habere ô homo, propter illum, qui scrutatur corda & renes. Quemadmodum qui milites sunt conscripturi, & ætatem & corpora, deligendorum ad pugnam, diligenter excutiunt: sic & dominus, delectum faciens animarum, voluntates illarum scrutatur, ac si quam hypocrisim deprehenderit occultatam, reijcit hominem, tanquàm ad veram illius militiam non idoneum: si verò dignum inuenerit, huic libenter confert gratiam. Non dat sancta canibus, sed vbi bonum videt propositum, illic salutare sigillum & admirandum imprimit, quod metuẽtes tremũt dæmones, & agnoscunt angeli: ita vt illi quidem fugitẽt abacti: hi verò familiariter circa illud tanquã domestici versentur. Qui itaque spiritale hoc signaculum & salutare accipiunt, opus est vt voluntariè id faciant: vt enim calamus scriptorius aut telum, vt ab aliquo impellatur necesse est: sic & gratia indiget credentibus. Arma capis non corruptibilia, sed spiritalia, atque deinceps in spiritalem paradisum insereris, nomenque nouum accipis, quod anteà non habebas. Anteà catechumenus eras, nunc verò fidelis vocaris. Transplantaris rursus in spiritales oleas, ex oleastro in oleam frugiferam insertus, ex peccatis in iustitiam, ex pollutione in puritatẽ, & particeps sanctæ illius vineæ efficeris: ac si permanseris in vinea, tanquàm vitis frugifera creşces: sin autem non maneas, ignis te consumet. Fructum ergo ita, vt æquũ, est feramus, ne sic agatur nobiscum, vt actum est cum illa ficu sterili: ne fortè veniens Iesus, etiam nũc propter sterilitatem tibi maledicat: sed vt possimus omnes illi dicere: Ego sicut olea fructifera in domo Dei. Olea non corporea, sed spiritalis. Ipsius quidẽ est, qui lucem omnibus adfert, plãtare & rigare, tuũ verò fructũ facere. Dei est gratiã cõferre, tuũ verò acceptare & custodire. Nõ ideo spernas gratiã, quòd gratis datur, sed religiosè potiùs, cũ eã acceperis, custodito. Tẽpus prẹsens, est tẽpus cõfessionis. Cõfiteare quæ perpetrasti, siue verbo, siue opere, siue noctu, siue interdiu: Cõfitearis tẽpore acceptabili, & in die salutis. Suscipe cœlestem thesaurũ, & in exorcismis studiosè verseris. Assistas catechesibus, & quæ in illis dicuntur memineris. Dicitur enim non ideo, vt audias tantùm, sed vt per fidem

Simulatio fugienda.

Propositum, & voluntatem Deus inuetur.

Sterilitas operum maledicta.

Gratiam acceptare est in nostra potestate.

Confessionis Tempus.

Exorcismis vtendum.

dicta obsignes. Omnem tunc humanam sollicitudinem deleas ex animo: nam in animæ cura versaris. Mundana hæc omninò postpone: parua enim sunt, quę relinquis, maxima verò, quæ dãtur à domino. Relinque præsentia, & crede futura. Tot annorum circulos transegisti, mundo frustrà operam nauans: & quadraginta diebus nõ vacabis pro anima tua? Vacate & videte, quia ego sum Deus, dicit scriptura diuina. Otiosa loqui multa recusa, ac neque ipse detrahas, nec detrahentem alicui audi: sed potiùs in precationibus assiduus esto. Mõstra in exercitio cordis tui, quod erat occlusum: munda vas tuum, vt gratiam capiat abundantiorem. Remissio enim peccatorum ex æquo datur omnibus: communicatio autem spiritus sancti, secundum fidei vniuscuiusque proportionem donatur. Si parum laboraueris, parum accipies: si verò multum operaberis, multa te merces manet. In tui ipsius commodum curris, reputa si quid contra aliquem habes, ac dimitte. Accedis accepturus peccatorum remissionem, necesse est, vt & tu delinquenti ignoscas. Qua fronte enim diceres domino, remitte mihi: multa mea peccata, si tu pauca conseruo tuo non remiseris? Sacris conuentibus libenter studeas, non modò nunc, cùm te clerici hortantur, verùm & deinceps cùm iam gratiam acceperis. Si priusquàm facta esset insitio benè erat, nónne rigari & excoli, etiam post plantationem multò pulchrius est? Certamen sustineas pro tua ipsius anima, his præsertim diebus, *sacris lectionibus animam tuam recrea. Mensam enim spiritalem dominus tibi parauit: Dic & tu cum Psalmista: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit in loco pascuæ ibi me collocauit. Super aquas refectionis posuit me, & animam meam conuertit: vt & angeli congratulentur: & ipse Christus magnus summusque sacerdos, propositum vestrum suscipiens, & vos omnes offerens, dicat Deo: Ecce ego & pueri mei, quos dedisti mihi Deus. Qui omnes vos sibi placentes custodiat. Cui gloria & nunc & in secula infinita. Amen.

Quadragesimæ temporũ.

Otiosa loqui.

Gloria spiritus pro ratione fidei datur.

**Diebus quadragesimæ.*

CATE-

CATECHESIS SECVNDA ILLVMINATORVM

Hierosolymis extemporanea. De pœnitentia, & remissione peccatorũ. Et lectio ex Ezechiele: Iustitia iusti super ipsum erit, & reliqua.

GRauis est res peccatum, & morbus animæ acerbissimus iniquitas, quæ & neruos illius omnes præcidit, & æterno igni obnoxiam facit. Malum liberi arbitrij, germenque voluntariũ. *Liberi arbitrii germen peccatum.* Nam quòd voluntariè peccemus, dicit quodam in loco apertè propheta: Ego plantaui vineam fructiferam, totã veram: quomodo conuersa es in amaritudinem vti vinea aliena. Plantatio quidem bona, sed fructus ex voluntate malus: atque ideo plantator quidem in culpa non est, vinea autem comburetur: quoniam in bonum plantata est, & in malum fructificauit. Fecerat enim Deus hominem rectum, vt inquit Ecclesiastes, sed ipse quæsiuit quæstiones multas. Et apostolus dicit: Ipsius enim factura sumus, creati in bonis operibus, quæ præparauit Deus, vt ambulemus in illis. Creator itaque cùm sit bonus, bonos creauit: creatura verò, voluntate propria, in amaritudinem conuersa est. Graue igitur malum, vt dictum est, peccatum, sed non incurabile: graue retinenti, leue autem per pœnitentiam abijcienti. Posito enim quòd manu aliquis teneat ignẽ, quandiu quidẽ reti net carbonẽ, proculdubio vritur: si verò carbonẽ abijciat, ablatus est feruor. Quòd si quis cùm peccat, vri se non sentit, de hoc ait scriptura: Inuoluat quis ignem in sinu, & vestes eius non vrãtur? Vrit enim peccatum neruos animæ, & conterit ossa mentis spiritalia, ac lumen cordis obtenebrat. Sed dixerit aliquis: quid tandem est peccatum? animal est, vel angelus? num dæmon est? Quid est hoc quod tantam vim habeat? Non est hic inimicus ô homo, qui tecum exterius pugnet: sed est mala soboles, à te ipso volũtariè propagata. Rectis vide oculis, & nõ erit concupiscẽtia. Nõ rapias aliena, & cessabit rapina. Memineris iudicij, & non erit scortatio, nec adulteriũ, neque homicidiũ, neque vlla iniquitas apud te inualescet. Nam cùm Dei obliuiscaris, tunc demùm cogitas peruersa, & iniqua perficis. Neque verò tu solus es dux istius rei: verum est etiam alius quidam: ille & incitat, sed non vi superat reluctantem. Quare dicit Ecclesiastes: Si spiritus dominantis ascenderit in te, locum tamen non deseras: si ostium occluseris, minimè tibi nocebit. Si verò neglectè susceperis concupiscentiæ incitationem, per ratiocinationes, radices in te figet, & mentem tuam ligabit, & te detrahet in foueam malorum. Sed fortè dices: fidelis sum, non me apprehendet cõcupiscentia, etiã- *Peccatũ quid & vnde.*

si aliquid concupiuero obscurius. An ignoras quòd etiam in Petra quandoque radix agitur, & sæpè manet? Ne suscipias semen, quoniam perdet tuam fidem: priusquàm floreat, radicitùs erue malum: ne si ab initio neglexeris, posteà nequicquam incidas, & ignem magis excites. Lippitudinẽ inceptantẽ tempestiuè cura, ne cùm excæcatus fueris, tum demùm frustra medicum quæras.

Princeps peccati diabolus.

Princeps est peccati diabolus, & pater malorum, hoc autem dominus dixit non ego: quod ab initio diabolus peccat: nam antè illum peccauit nemo. Peccauit autem, non ex necessitudine naturæ vitium suscipiens: quò sic peccati occasio rursum in opificem retorqueatur: Sed bonus creatus, propria voluntate factus est Diabolus: ab actione capiens cognomen. Archangelus enim cùm esset bonus, diabolus posteà, seu calumniator, à calumniando dictus est: bonus cùm esset Dei minister, satanæ deinceps nomen tulit. Satanas autem aduersarium significat. Non mea sunt hæc dogmata, sed Esechielis spiritiferi prophetæ. Ille enim deplorans istum, dicit. Tu signaculum similitudinis Dei, & corona pulcherrima in paradiso Dei factus. Et paucis interiectis: Factus es immaculatus tu in diebus tuis, quibus tu creatus es, vsquequo inuẽtæ sunt iniquitates in te: omninò pulcher reperiebaris. Neque enim exterius congestum est, sed ipse genuisti malum, & causam mali. Deinde dixit: Eleuatum est cor tuum super pulchritudinem tuam. Propter multitudinem peccatorum vulneratus es, in terram proiecit te. Et Christus in Euangelijs similiter: Vidi, inquit, Satanam tanquam fulgur cadentem de cœlo. Cernis veteris testamenti cum nouo consonantiam. Iste cadens traxit ad ruinam multos, iste obsequentibus sibi, suggerit concupiscentias: ex hoc scortatio & adulterium, ac omne denique genus mali: Per hunc pater noster Adam pulsus est, & pro paradiso, admirando quodam modo sponte sua fructus ferente, terram spiniferam accepit.

Diabolus ex Archangelo.

Quid igitur (dixerit aliquis) decepti perijmus: nunquid* non est deinceps salus? cecidimus, an non licet resurgere? excæcati sumus, ergo non licet prospicere? claudi sumus effecti, licebit ne incedere? In summa, mortui sumus, num fieri potest vt resurgamus? Qui Lazarum quatriduanum excitauit, ô homo, nónne te viuentẽ multò facilius suscitauerit? Qui pretiosum sanguinem suum effudit pro nobis, ipse nos à peccato liberabit. Non desperemus in ipso fratres: non abijciamus nos ipsos in statum desperationis. Graue enim scelus, non credere spem pœnitentiæ. Qui non expectat salutem, temerè accumulat peccata: at qui sperat medi-

**Nunquid est salus an licet resurgere.*

medicinam, deinceps sibi temperat. Latro enim, qui non sperat condonationem, deuenit in contumaciam: qui verò sperat remissionem, persæpè pœnitentiam suscipit. Si potest serpens deponere senectutem, cur nos peccatum non deponamus? Ac terra quoque spinosa, cùm fuerit benè exculta, in frugiferam transmutatur: nostra autem non restaurabitur salus? Natura itaque est capax salutis, sed requiritur deinceps voluntas. Benignus est Deus, & non parum benignus. Non ergo dixeris scortationem & adulterium commisi, grauia patraui scelera, idque non semel, sed frequentissimè, nunquid condonabit? nunquid obliuiscetur? Audi quid dicat psaltes: Quàm magna multitudo bonitatis tuæ domine. Non vincunt tua peccata multitudinem miserationum Dei: non superant vulnera tua, summi illius medici experientiam, fidelem modò teipsum præbeas. Edissere medico affectionem tuam, dicens cum Dauid: Dixi, confitebor aduersum me iniquitatem meam domino, & fiet id quod proximè sequitur. Et ipse remisit impietatem cordis mei. Vis agnoscere humanitatem Dei, tu qui recèns ad catechesim accessisti? vis inquam perspicere Dei benignitatem, & longanimitatis illius multitudinem? Audi de Adamo. Non paruit Adam protoplastus Deo: nunquid non potuit statim in illum mortem inducere? Sed vide quid agat benignissimus dominus: Eijcit ipsum ex paradiso: neque enim erat dignus illo loco propter peccatum. Constituit autem illum è regione paradisi, vt videat vnde exciderit, & à quibus, in quæ delapsus sit, deincepsque per pœnitentiam saluetur. Cain primogenitus homo fratricida factus, & inuentor malorum, & princeps cædium, primusq; inuidus. Sed posteaquam è medio sustulit fratrem, quomodo condemnatur? Gemens & tremens eris super terram. Etiam hîc post peccatum est dilatio mulctæ.

Voluntas in salutis reparatione requiritur.

Hæc igitur vera est benignitas Dei: sed adhuc parua, respectu eorum, quæ sequuntur. Cogita enim quæ tempore Noe contigerint. Peccauerunt * Gigantes, & iniquitas in terra plurima diffusa est, & propter hanc futurum erat diluuium: Ac quingentesimo quidem anno comminationem protulerat Deus, sexcentesimo verò diluuium induxit. Cernis benignitatis Dei latitudinem, in centum vsque annos protensam? Nunquid enim, quod post centũ annos fecit, statim facere non potuit? sed data opera distulit, cõcedens pœnitẽtię indulgentiã, ac si tũc egissent pœnitentiã, nequaquã Dei benignitate excidissent. Veniamus porrò ad alios, qui per pœnitentiam saluati sunt.

*homines.

Gigantes tẽpore Noe.

Diluuii mille centũ annis præcesserunt.

Verum enimverò & ex mulieribus, si fortè aliqua dicat: scortatione & adulterio polluta sum, fœdaui corpus meum omni genere luxuriæ, nunquid erit salus? Aspice Raab ô mulier, & spera tu quoque salutem: nam si ea, quæ apertè publiceq; scortata est, saluata est per pœnitentiam: nunquid quæ semel tantùm fornicata est ante gratiam, per pœnitẽtiam & ieiunium non seruatur? Quomodo autem saluata est illa perquire: hoc tantum dixit, Quia Deus vester in cœlo, & in terra Deus vester. Suum enim dicere non audebat, eò quòd se impuram sentiebat. Quòd si scriptum habere vis testimonium, illam esse saluatam, habes scriptũ in psalmis: Memor ero Raab & Babilonis, †& postea cognoscent me. O magnam Dei benignitatem, etiam inhonestæ mulieris meminit, in peccatis, sed non simpliciter meminit, verùm scientium me. †vel scientiũ me.

Est itaque & viris & mulieribus salus, quæ per pœnitentiam conciliatur. Etiamsi vniuersus populus peccet, non superabit diuinam benignitatem. Vitulum populus fabricauerat, sed non destitit dominus Deus à benignitate: Negauerunt Deum homines, sed Deus seipsum non negauit. Isti, inquiunt, sunt dij tui Israel. Et tamen pro more suo Deus seruabat illos. Neque populus tantum peccauit: verùm etiã Aaron summus sacerdos. Moyses enim dicit: Et super Aaron facta est ira domini: & rogaui, inquit, pro ipso, & condonauit illi. Tum verò Moyses quidem supplicans, pro summo sacerdote peccante, placauit dominum. Iesus autem vnigenitus, orans pro nobis non placabit Deum? Ac illum quidem propter crimen, non vetuit ad summum sacerdotium peruenire: te verò ex gentibus venientem, salutem consequi vetabit? Pœnitentiam ergo agas ô homo, & non arcebitur à te gratia. Irreprehensibilem deinceps tuæ vitæ dispone modum: Benignus est Deus & verax, nec vllus poterit homo illius benignitatem satis prædicare: immò etiamsi omnes omniũ hominum linguæ simul coaceruarentur, ne sic quidem partem aliquam benignitatis illius enarrare possent. Dicimus sanè nos ex parte quadam, de illius erga homines benignitate, sed nescimus quanta ille, & angelis condonauerit. Indulget enim & illis: quandoquidem ipse tantum vnus est, qui peccare non possit, qui purgat peccata nostra Iesus. Ac de illis quidem sufficiat: si verò plura velis audire de nobis, & alios typos proferemus. Accede ad beatum Dauid, & pœnitentiæ typum ab illo accipe. Deliquit vir ille magnus, cùm post cubile pomeridianum in palatio deambularet: vidit obiter mulierem, & humanum quid passus est: deinde

Aaronis crimen sacerdotium eius nõ impediit.

Angelis etiã indulget Deus.

deinde peccatũ perfecit,ſed non occubuit animi illius in cõfitendo peccato æquitas. Venit Nathan propheta,celerrimus redargutor,& vulneris medicus:iraſcitur,inquit,dominus, quoniã peccaſti. Idiota ſeu plebeius arguit regem:verùm Dauid rex non indignabatur:non tam enim dicenti,quã mittenti attẽdebat. Non excæcabat illum circũſtans militũ agmen:intellexerat enim angelicum domini exercitũ,& tanquã vidẽs inuiſibilem perhorreſcebat:ac reſpõdit venienti,immò potiùs per illũ,mittenti: Peccaui domino. Cernis humilitatẽ regis?vides confeſsionẽ? Non enim erat cõuictus ab aliquo:nõ multi illius rei conſcij fuerant. Celeriter trãſegerat nogotiũ,& propheta adeſt illicò accuſator, & delinquens facinus cõfitetur:quod cùm ingenuè faſſus eſſet, celeri ter percipit medicinã.Propheta enimNathan qui cõminatus eſt, extemplò inquit:Dominus quoq; tranſtulit peccatũ tuum. Cernis velociſsimã Dei benigniſsimi mutationẽ. Attamen dicit: Irritaſti inimicos domini, multos enim propter iuſtitiã hoſtes habebas,ſed cuſtodiebat te tẽperantia, traditis autẽ his armis,prom ptos habebis,ſtantes aduerſus te, & inimicos conſurgentes contra te.Propterea igitur ſic eum cõſolatus eſt: beatus autẽ Dauid, quãuis audiuerit dominũ trãſtuliſſe peccatũ ipſius, nõ abſtinuit tamen à pœnitẽtia,verũ loco purpurę ſacco vtebatur,& loco aurei throni,in terra cinereq; Rex ſedebat: neq; tãtùm in cinere ſedebat, verumetiã cinere veſcebatur:quẽadmodũ ipſe dicit:Quod cinerẽ tanquã panẽ manducabã, & poculũ meũ cum fletu miſcebã.Vindicabat lachrymis cõcupiſcentẽ oculũ. Lauabo inquiens, per ſingulas noctes lectũ meum, & lachrymis ſtratũ meũ rigabo. Cùm principes illũ adhortarẽtur, vt mãducaret panẽ:non patiebatur id ſibi perſuaderi,& in totum vſq; ſeptimũ diem,ieiunium producebat. Rex igitur ſic cõfitebatur, & tu idiota ſeu priuatus, an non debes confiteri? Porrò cùm Abſolon aduerſus illũ arma cepit,quãuis multæ illi ad fugã viæ patẽrent, per montes tamen oliuarũ fugere maluit, fermè inuocans mente liberatorẽ illum, qui iſtinc cœlos erat aſcenſurus. Et cùm vehementer eundẽ Semei execrarentur, dixit, ſinite illum:vt Deus reſpiceret humilitatem eius.Sciebat enim quod remittenti Deus remittet.

Confeſſio Dauid.

Satisfactio, ſeu Pœnitentia demiſſo peccato Dauid.

Vides quòd pulchrum eſt confiteri? Cernis, quòd pœnitentibus datur ſalus? Et Salomon ceciderat: ſed quid inquit: Poſteà ego pœnitentiam egi.Et Achaab Rex Samariæ, erat iniquiſsimus idololatra, excellenti improbitate, procul ab omni pietate,concupiſcens agros & vineas alienas. Sed cùm Nabuthe, per ſuam Ieſabel,occidiſſet,& Helias propheta veniens,tantummodò

Salomonis pœnitentia.

modò illi comminatus esset, discidit vestimẽta & induit saccum: Quid autem dicit benignus Deus ad Heliam? Vidisti quomodo humiliatus est Achaab ante faciem meam? Quasi persuadens ira accenso prophetæ, vt subueniret pœnitenti. Non inducam malum in diebus eius. Et quamuis etiam post hanc indulgentiam, iste non erat à sua improbitate cessaturus: remittens tamẽ Deus ignoscebat: non ignorans quid esset futurum, sed consentaneam pœnitentiæ præsentis concedens indulgentiam. Iusti enim iudicis est, de singulis factis aptè sententiã pronũciare. Rursus Hieroboam, cùm stetisset sacrificans idolis in ara, manus eius exaruit, quoniam iusserat arguentem se prophetam comprehendere: sed cùm vim illius præsentis experientia didicisset, dicit: supplica pro me domino: & propter hoc verbũ manus illius in integrum restituta est. Si Hieroboam sanauit propheta, te Christus non poterit soluens à peccatis liberare? Erat & Manasses sceleratissimus, qui Esaiam dissecuit, & in omni genere idololatriæ volutabatur, innocentumque sanguine Hierosolymam replebat: sed captiuus posteà abductus Babilonem, malorum experientia adactus, pœnitentiæ vsus est medicina. Dicit enim scriptura: quòd humiliatus est Manasses coram domino, & orauit, & exaudiuit eum dominus: & reduxit illũ in regnum eius. Si is, qui prophetam dissecuerat, per pœnitentiam saluatur, tu verò qui nihil eiusmodi perpetrasti, non saluaberis? caue ne virtuti pœnitentiæ frustrà diffidas.

Ignoscit Deus etiam denuò peccaturis.

Vis cognoscere quantam vim habeat pœnitentia? vis nosse hæc fortia salutis arma, & discere quàm multis præualeat confessio? Centum octaginta milia hostium Esechias per confessionem in fugam verterat. Magnum quidem id reuerà: sed exiguum tamen respectu eorum, quæ dicenda sunt: Diuinam sententiam promulgatam, hic idem per pœnitentiam reuocauit. Aegrotanti enim illi, dixerat Esaias: Dispone domui tuæ, morieris enim tu, & non viues. Quæ deinceps expectatio, quæ spes salutis, propheta dicente, quod morieris? Sed non abstinuit tamẽ à pœnitentia Esechias: recordatusq; illius, quod scriptum est: Cùm conuersus ingemueris, tunc saluaberis. Conuersus ad parietem, & eleuans mentem à lecto ad cœlum (neq; enim spissitudo parietum, impedit orationes deuotas sursum emitti) Memento, inquit, mei domine: sufficit enim ad sanitatem mihi, si tu memineris mei: non tu subiaces temporibus, sed ipse es vitæ legislator. Neque enim secundum generationem, vel nexum, seu inclinationem astrorũ, vt nonnulli fabulantur,

Confessionis vis & pœnitentiæ.

sed

sed tu ipse vti vis, vitæ mortisque potestatem habes. Itaque de cuius vita, ex sententia prophetæ desperabatur, huic quindecim annorum interuallum vitæ adiectum est: in cuius rei signum, sol iter fecit reciprocum. Tum, propter Esechiam, sol reuersus est: propter Christum verò, sol obscuratus est: non retrocedens, sed deficiens: atque per hoc vtriusque differentiam & Esechiæ, & Iesu, demonstrauit. Ac ille quidem potuit Dei soluere sententiã: Iesus autem non poterit remissionem peccatorum donare? Conuertere, & de te ipso ingemisce, claude ianuam, & supplica, vt tibi remittatur, vt flammas te vrentes auferat. Poterit enim confessio, etiam ignem extinguere, poterit & leones cicurare. Quod si non credis, recogita quid acciderit ijs, qui erãt cum Anania, quales effuderunt fontes: quot vasa aquæ, quadraginta nouem vlnarum flammam extinguere potuerunt: sed vbi modicùm ascendit flamma, illic fluuiolum effudit fides: & istic dixerunt pro remedio malorum: Iustus es domine in omnibus, quę fecisti nobis: peccauimus, iniquè egimus: Et pœnitentia dissoluit flammas. Si non credis, quòd ignem gehennæ potest extinguere pœnitentia, ex his quæ Ananiæ cotingerunt, disce. Sed dixerit aliquis ex his, qui celeriter omnia percipiunt. Illos Deus liberauit, tãquàm iustos: nam quòd idololatriã cõmittere nolebãt, vim hãc illis tribuit. Sit ita planè: Veniamus deinceps ad alium pœnitentiæ typum. Quam opinionem habebis de Nabuchodonosore? Audistíne ex scripturis, quòd sanguinarius erat, & ferus homo leoninam quandam mentem habebat? Nónne audiuisti illum, ossa ex sepulchris regum eiecisse? populum captiuum abduxisse? regis oculos excęcasse? cùm priùs videndos illi præbuit filios ante se iugulatos. Nónne audisti, quòd Cherubim contriuit? non illa dico cherubim spiritalia, absit, ne quis hoc cogitet: sed ea quæ fuerant sculpta. Sed & propiciatorium, in cuius medio, vocem edebat Deus: & velum templi conculcauit. Thuribulum accipiens ad idolorum delubrum transtulit: sustulit omnes oblationes: templum funditùs combusit. Quantis hic dignus erat pœnis? in tollendis regibus, in sacris comburendis, captiuando populo, sacratis vasibus in idolorum templa inferendis? Nunquid non millies mori meruerat? Vides scelerum magnitudinem? Conuertere deinde ad Dei clementiam. In bestiam transmutatus est, in solitudine degebat, flagellatus est, vt seruaretur. Leoninos habebat vngues, raptor enim sanctorum fuerat. Crines quoque leonum habebat: leo enim rapax erat & rugiens: fœnum tanquàm bos comedebat, pecus enim fuit, nescíens quis regnum

Confessio ignem extinguit.

Cherubim sculpta in templo Solomonis.

illi cõtulerat. Tinctum erat corpus eius rore, etenim præuidens à rore extinctum ignem, non credidit. Et quid factum est: Postea, inquit, ego Nabuchodonosor, oculos meos in cœlum leuaui, & altissimum deprecatus sum, & viuentem inæternum laudaui, & glorificaui. Cùm igitur agnouit altissimum, vocesque gratias agentes ad Deum emisisset, & deuenit ad eorum quæ patrauit pœnitentiam, infirmitatemque suam agnouit: tunc restituit illi Deus regni honorem. Quid igitur? Nabuchodonosori, tantis obnoxio sceleribus, quamprimùm confessus est, peccata remisit, regnumque restituit: tibi verò agenti pœnitentiam non remittet? neque regnum cœleste, si te pro dignitate gesseris concedet? Benignus est dominus, & velox ad indulgendum, tardus autem ad vindictam. Nemo itaque desperet de sua salute. Petrus princeps Apostolorum excellentissimus, coram ancilla ter negauit dominum: sed ad se rediens, fleuit amarè. Fletus enim veram seu ex corde pœnitentiam designat. Atque ideo non solùm negationis illius accepit condonationem, verùmetiam dignitatem apostolicam non ablatam retinuit. Habemus fratres multos peccantium typos, & pœnitentium, & promptè saluatorum. Et vos igitur confitemini domino, vt antè patratorum remissionem accipiatis peccatorum, & cœleste regnum consequamini, donumque supercœleste hæreditetis, cum omnibus sanctis, in Christo Iesu: cui gloria in secula seculorum, Amen.

Cõfessio Nabuchodonosoris.

Petrus princeps Apostolorum.

CATE-

CATECHESIS TERTIA ILLVMINATORVM

Hieroſolymis extemporanea de Baptiſmo. Et lectio ex Epiſtola ad Romanos: An ignoratis, quòd quicunque in Chriſtum Ieſum baptizati ſumus, in mortem eius baptizati ſumus. Conſepulti ergo ipſi per baptiſmum, &c.

LAEtentur cœli, & exultet terra, propter eos, qui aſpergentur hyſopo, & mundabuntur: hyſopo ſpiritali, & virtute illius, qui tempore paſsionis hyſopo, & arundine potatus eſt. Ac cœleſtes quidem virtutes gaudeant: animæ verò, quę cœleſti ſponſo copulandæ ſunt, pręparentur: Vox enim clamantis in deſerto: parate viam domini. Res enim non parua eſt, neque vulgaris & temeraria coniunctio, ſed ſpiritus omnia perſcrutantis ſecundum fidem delectus. Nam mundana connubia, non omninò cum iudicio fiunt, ſed vbi vel diuitiæ, vel pulchritudo, illuc ſtatim ſponſus aſpirat: Hic verò, non vbi corporis pulchritudo, ſed vbi irreprehenſibilis conſcientia: hîc non mammonæ damnatæ diuitię, ſed pietas animę quæritur. Credite itaque filij iuſtitiæ Ioanni adhortanti & dicenti: parate viam domini: auferte omnia impedimenta & ſcandala, vt rectè proficiſcamini in vitam æternam: præparate animæ ſanctitatem puram, per fidem non ſimulatam, ad ſpiritus ſancti ſuſceptionem. Incipiatis ſtolas veſtras per pœnitẽtiam lauare, vt ad ſponſi thalamum vocati, mundi reperiamini. Vocat omnes ſimpliciter, quoniam liberalis eſt gratia, & ſonora voce præconum congregat omnes ſimpliciter, quoniam liberalis eſt gratia: ipſe verò deinceps diſcernit eos, qui in typicas nuptias ingrediuntur. Abſit vt aliquis ex his, qui nomina dederũt, & in album relati ſunt, audiat: Amice, quomodo huc intraſti, non habẽs veſtem nuptialem. Vtinam verò liceat nobis omnibus audire: Euge ſerue bone & fidelis, ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, ingredere in gaudium domini tui. Hactenus enim foris ſtetiſti. Vtinam autem & vos omnes dicere poſsitis: Introducet me rex in tabernaculum ſuum, exultet anima mea in domino: induit me veſte ſalutis, & tunica lęticiæ: tanquàm ſponſo circumpoſuit mihi *mitram, & tanquàm ſponſam ornauit me ornatu. Vt omnium veſtrûm anima ſine macula & ruga, vel aliquo eiuſmodi reperiatur. Non hoc dico, antequàm gratiam conſequamini: Omnes enim ad remiſsionem peccatorum vocati eſtis: ſed vt poſtquàm data vobis fuerit gratia, irreprehenſibilis conſcientia reperiatur, & gratiæ congruat.

Connubium ſpirituale.

**coronam*

Magna profectò res eſt fratres, magnaque cum attentione ad

illam accedendum. Nam vnuſquiſque veſtrûm aſsiſtet Deo coram multis angelorum myriadibus. Spiritus ſanctus obſignabit animas veſtras: deligendi eſtis in militiam magno regi: itaq; parate vos, & inſtructi eſtote. Non quòd ſtolas veſtium ſplendidas induatis: ſed animæ benè conſciam pietatẽ. Non tãquàm aquæ ſimplici ſtudeas huic lauacro, ſed vt ſpiritali gratiæ, quæ cũ aqua datur. Nã, vt illa, quæ* in aris offerũtur, cùm natura ſint pura, inuocatione dæmonũ impura efficiuntur: ſic cõtrà aqua ſimplex per ſancti ſpiritus, Chriſti & patris inuocationẽ accepta virtute, ſanctitatẽ cõſequitur. Cũ enim duplex ſit homo, ex anima & corpore cõpoſitus, duplex quoq; purificatio: incorporea quidẽ, incorporeo: corporea verò, corpori. Et aqua ſanè mũdat corpꝰ, ſpiritus aũt ſignat animã, vt abluti in corpore aqua mũda, & repurgati in corde, accedamus ad Deũ. Qui itaq; in aquam deſcenſurus es, nõ aquę ſimplicitati mentẽ adhibe, ſed ſpiritus ſancti virtute, ſalutẽ ſuſcipe: nam ſine vtriſq; ad perfectionẽ deduci non poteris. Non ego ſum, qui dico, ſed dominus Ieſus Chriſtus, ille qui eius rei poteſtatem habet: Niſi quis, inquit, renaſcatur deſuper: Et addit, ex aqua & ſpiritu, non poterit intrare in regnum Dei. Neque ſi quis aqua baptizetur abſque ſpiritu, perfectam habet gratiam: neque ſi quis etiam benè compoſitis, probisque ſit moribus, non recipiat autem ſignaculum* per aquam, intrabit in regnum cœlorum. Audax eſt hic ſermo, ſed non meus: Ieſus enim eſt, qui hanc tulit ſententiam. Cuius rei ex ſacra ſcriptura accipe demonſtrationem. Cornelius erat vir iuſtus, & angelorum viſione dignus habitus: cùm tanquàm columnam bellam in cœlo coram Deo ſuas orationes, & eleemoſynas conſtituiſſet. Venit Petrus, & ſpiritus infuſus eſt credentibus, & locuti ſunt linguis diuerſis, & prophetabant: & tamen poſt hanc ſpiritus gratiam, dicit ſcriptura: Præcepit illis Petrus, vt in nomine Ieſu Chriſti baptizarentur, vt anima per fidem regenerata, & corpus per aquam, ſuſciperet gratiam.

Præparatio ad baptiſmũ

Aqua ſanctificatur per inuocationem.

* *in idolorum delubris.*

* *aquæ.*

Sine baptiſmo non eſt ſalus.

Anima per fidem, corpus per aquã regeneratur.

Quòd ſi quis ſcire deſiderat, quare per aquam potiùs, quàm per aliquod aliud elementum gratia detur, ſacras ſcripturas relegens, inueniet. Magnum enim quiddam eſt aqua, & ex quatuor mundi elementis, apparentibus pulcherrimum. Angelorum habitaculum eſt cœlum: atqui ex aquis ſunt cœli. Terra eſt hominum locus: atqui ex aquis etiam terra. Et ante omnem rerum creatarum, ſex illis diebus diſtinctionem, ſpiritus domini ferebatur ſuper aquas. Principium mundi aqua: principium Euãgelij Iordanus. Liberatio Iſraëlis à Pharaone, per mare fa-

Gratia cur per aquã detur.

re facta est: & liberatio à peccatis mundi, per lauacrum est aquæ in verbo Dei. Vbicunque fœdus aliquod inter Deum & homines, ibi & aqua. Post diluuium fœdus percussum est cum Noë. fœdus & cum Israële ex monte Sina: verùm hæc non sine aqua, & lana rubea, & hysopo. Helias assumptus est, sed non sine aqua: priùs enim transiuit Iordanem, deinde in cœlum raptus est: priùs abluitur summus sacerdos factus. Quomodo enim susciperetur pro alijs oraturus, qui nondum per aquam purificatus esset. Symbolum baptismi erat labrum in tabernaculo positum. Veteris testamẽti finis, & noui est principium baptismus. Ioannes erat dux eius, quo maior inter natos mulierum nullus: qui finis erat prophetarum: omnes enim prophetæ & lex vsque ad Ioannem. Et idem erat rerum Euangelicarum principium. Initium enim Euangelij Iesu Christi, & quæ sequuntur. Erat Ioannes baptizans baptisma. Etiamsi Heliam Tesbytem dixeris esse in cœlum assumptum: attamen non est hic maior Ioanne. Enoch translatus est: sed non maior est tamen Ioanne. Moyses maximus legislator, & omnes prophetæ, sed non maiores Ioanne. Non ego prophetas prophetis audeo comparare, sed ipse dominus noster & illorum, dominus Iesus pronuntiauit: Maior inter natos mulierum Ioanne non surrexit. Non inter natos virginum, sed mulierum. Magni serui ad conseruos comparatio: filij verò ad seruos minimè comparanda est gratia & excellentia. Vides quantum hominem huius gratiæ ducem elegit, nihil omninò possidentem, solitudinis studiosum, sed non inhumanum, locustas manducantem, & alas parantem animæ, melle vescentem, & dulciora melle, vtilioraq; loquentem, veste de pilis camelorum indutum, & exercitationis typum in seipso monstrantem, qui etiam in vtero matris cùm gestaretur, à spiritu sancto sanctificatus est. Erat quidem & Hieremias sanctificatus, sed non prophetauit in vtero. Solus autem Ioannes in vtero existens, exultauit in gaudio, & corporeis oculis nihil videns, spiritu dominum cognouit. Cùm enim magna sit gratia baptismi, magno quoque præsule egebat. Hic baptizabat in Iordane, & exibat ad illum omnis Hierosolyma, baptismiq́ue primitijs fruebatur: bonorum enim excellentia Hierosolymis.

Dux baptismi qualis.

Monastica exercitationis typum Ioannes monstrat.

Sed cognoscite, cognoscite vos Hierosolymitæ, quemadmodũ illi, qui exibant, baptizabantur ab illo, confitentes peccata sua. Primũ ostendebãt vulnera: deinde ille medicamẽta apponebat, & credentes liberabat ab igne æterno. Ac si velis hoc tibi

Confessio præcedebat baptismum.

Ioannis baptiſmus ab igne liberabat.

probari,quòd baptiſmus Ioannis ab igne comminationis liberabat:audi ipſum dicentem:Genímina viperarum, quis monſtrauit vobis fugere à futura ira ? Non igitur ſis deinceps vipera,ſed cùm eſſes aliquando genimen illius, exue, inquit, primæ illius iniquæ vitæ perſonam. Quilibet enim ſerpens in anguſtum intrans, deponit ſenectutem, & vetuſtatem per extruſionem exuit,corporeque denuò toto renouatur.Sic & tu,intra per anguſtam portam & ſtrictam,affligens teipſum per ieiunium,expelle tuam perditionem. Exue veterem hominem cum actionibus

Cant.6.

ſuis,& dic illud, quod eſt in Canticis: Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Cæterùm, ſi quis eſt inter vos homo hy-

Hypocriſis excindenda.

pocrita,& oſtentator, deuotionem quidem ſimulans, non ex corde autem credens,Simonis magi habens hypocriſim,qui non vt gratiæ particeps ſit, accedit,ſed vt perſcrutetur,anxieque ſpe-

Mat.3.

culetur,id quod datur. Audiat & ipſe à Ioanne : Iam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt:omnis igitur arbor, quæ non facit fructum bonum,excindetur, & in ignem mittetur. Inexorabilis eſt iudex,relinque hypocriſim.

Pœnitentiæ fructus.

Quid igitur faciendum eſt, & qui ſunt fructus pœnitentiæ? Qui habet duas tunicas,det non habenti.Fide dignus eſt, qui docuit:quandoquidem primus ipſe compleuit quod docuit. Non dubitauit dicere,neq; enim, quæ linguam eius redargueret,habebat conſcientiam. Qui habet eſcas,faciat ſimiliter. Vis frui gratia ſpiritus ſancti,& cibis ſenſilibus pauperes non reficis?magna quæris,& parua non expendis. Etiamſi publicanus,etiamſi ſcortator eras,ſpera ſalutem. Publicani,& meretrices præcedent vos in regnum Dei.Et teſtis Paulus dicens: neque fornicatores,neq; idolis ſeruientes, neq; alij eiuſmodi,&c.regnũ Dei poſsidebunt. Et hæc aliquãdo fuiſtis,ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis. Non dixit,quales eſtis,ſed quales fuiſtis. Quod fit ex ignorantia peccatum,facilè condonatur, pertinax autem malitia condemnatur. Habes gloriationem baptiſmi, filium Dei vnigenitum, quid enim quod ampliùs dicã de homine?Magnus Ioannes,ſed quid is ad dominũ?magnifica vox clamãtis,ſed quid ad dominũ? clariſsi-

Ioannes in aqua, Chriſtus inſpiritu S. & igne baptizabat diſcipulos.

mus præco,ſed quid ad regẽ?bonꝰ ille,qui in aqua baptizabat,ſed quid ad illũ qui baptizat in ſpiritu & igne. Spiritu ſancto & igne apoſtolos baptizauit ſaluator,quando eſt de cœlo factus repentè ſonus,tãquàm adueniẽtis ſpiritus vehemẽtis,&repleuit totã domũ,vbi erãt ſedẽtes:Et apparuerũt ipſis diſpertitę linguę,tanquã

Baptiſmus flaminis.

ignis,ſeditque ſupra ſingulos eorum, & repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto. Si quis non baptizatur, ſalutem non habet, præter

ſolos

solos martyres, qui vel sine aqua regno cœlesti potiuntur. Redimens enim terram saluator, per crucem, & in latere vulneratus, sanguinem & aquam emisit: vt alij quidem pacis tempore in aqua baptizarentur: alij verò tempore persecutionis, in proprijs sanguinibus baptizentur. Quod verò etiam is rectè baptismus vocetur, vide saluatoris testimonium, qui dicit: Potestis bibere calicem, quem ego bibam, & baptismo, quo ego baptizor, baptizari: Ac martyres quidem confitẽtur, spectaculum facti mundo, & angelis, & hominibus. Tu verò paulò pòst confiteberis. Sed de his aliàs: nondum enim est ea audiendi tempus.

Martyres in suo sanguine baptizantur.

Baptismus fluminis.

Baptismus sanguinis.

Sanctificauit baptismum Iesus, cùm ipse baptizatus est. Si filius Dei baptizatus est, quis pius potest baptismum cõtemnere? Baptizatus autẽ est, nõ vt peccatorũ acciperet remissionẽ: nõ poterat enim peccare: sed etiã peccato non esset obnoxius, baptizatus est, vt diuinã gratiã & dignitatẽ exhiberet baptizãdis. Quẽadmodũ enim pueri, participes facti sunt corporis & sanguinis, sic & ipse particeps illorũ factus: vt præsentiæ illius in corpore facti participes, diuinæ quoque illius gratiæ communicent. Sic baptizatus est Iesus, vt per eius participationem, nos deinceps vnà cum salute, honorem consequamur. Draco erat in aquis, vt ait Iob, qui ore capiebat Iordanem: Cùm igitur conterenda essent capita draconis, descendens in aquas ligauit fortem, vt facultatem calcandi, super serpentes & scorpiones accipiamus. Minimè parua fuit bellua, sed horrenda: Nauis piscatoria quæcunque corium vnum caudæ illius ferre non potuit. Imminebat ab illo perditio, contagione inficiens occurrentes. Succurrit deinde vita, vt mors quoque timeret, vt saluati omnes dicamus: Vbi est mors tua victoria, vbi inferne stimulus tuus. Per baptismum enim soluitur mortis stimulus.

Christus cur baptizatus.

Descendis quidem in aquam ferens peccata, sed gratiæ inuocatio signans animam, non permittit deinceps, ab horrendo illo submergi dracone. Mortuus in peccatis descendisti, & ascendis viuificatus in iustitia. Si enim insitus factus es similitudini mortis saluatoris, etiam resurrectione dignus efficieris. Quemadmodum enim Iesus mundi totius peccata recipiens, mortuus est, vt mortificato peccato restituat te iustitiæ: Sic & tu descendens in aquam, & quodam modo consepultus illi, sicut ille in petra excideris, rursus in nouitate vitæ ambulans: deinde cùm tibi gratia confertur, tunc rursus tibi aduersus contrarias virtutes dat potestatem. Quemadmodum enim ille post baptismum & quadraginta dies tentatus est: non quòd & anteà non posset vincere,

sed

Baptismum sequitur pugna.

sed quòd ordinè omnia & succesiuè facere volebat. Sic & tu ante baptismũ aduersarijs reluctari non audebas. Accepta verò gratia, deinceps confidens armis iustitiæ, decertato, & si vis etiam, euangeliza. Iesus Christus Dei filius erat: attamen ante baptismũ non Euangelizabat. Si dominus ipse secundum ordinem tempus quærebat, nũquid nos serui audere aliquid præter ordinem debemus? Ab eo tempore cœpit Iesus prædicare, cùm descendit in illum spiritus sanctus corporaliter in specie columbæ. Non vt tunc primùm Iesus videret: videbat enim etiam antequàm corporaliter in eum veniret: sed vt Ioannes baptizans illum cerneret. Ego enim, inquit, non noui illum: sed qui misit me baptizare, ille mihi dixit, Super quem videris spiritum descendere, & manere in illo, ille est. Si & tu nõ simulatam habueris religionem, descendet in te spiritus sanctus. Vox tibi paterna desuper intonat. Non hic est filius meus: sed quod nunc factus est filius meus: In illo enim est ipsum esse. Quoniam in principio erat verbum, & verbum erat apud deum, & Deus erat verbum. In illo est esse: quandoquidem est filius Dei. In te verò nũc factum est, quoniam non secundum naturam, sed iuxta alienam authoritatem habes adoptionem. Ille sempiternus est: tu verò ex profectu accipis gratiam.

Ordo in omnibus seruandus.

Corporaliter descendit S. spiritus in specie columbæ.

Præparatio ante adoptionem.

Præpara itaque vas animæ tuæ, vt sis filius Dei, & hæres quidem Dei, cohæres autem Christi. Præparaueris autem teipsum ita, vt id consequare, si ex fide accesseris, si deponere veterem hominem volueris. Omnia sanè quæcunque perpetraueris, condonabuntur, siue fornicatio, siue adulterium, siue quodcunque aliud eiuscemodi genus peccati fuerit, quod nihilominus crucifigentibus Christum non æquatur. Quod maius esse potest scelus, quàm crucifigere Christum? & huius tamen ablutio est baptismus.* Nam illis qui accedebant ad dominum, & sciscitabantur dicentes: Quid faciemus viri fratres? Magnum enim hoc vulnus. Perculsisti nos Petre nostra ruina dicens: Ducem vitæ occidistis: Quod emplastrum dabitur tanto vlceri? Quæ salus in hac perditione? Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur vnusquisque vestrũm, in nomine Iesu Christi domini nostri, in remissionem peccatorum, & accipietis donũ spiritus sancti: O ineffabilem Dei benignitatem. Qui de salute desperabant, donum spiritus sancti accipiunt. Vides baptismi virtutem. Si quis vestrũ verbis blasphemis Christum crucifixit, si quis ex vobis per ignorantiam coram hominibus negauit, si quis per male facta sua, vt dogma Christi malè audiret, vel blasphemaretur, effecit, agendo

*Nam cùm accessissent tria millia, dixit Petrus bis qui crucifixerant dominum, cũ dicerẽt: quid faciemus fratres.

pœni-

pœnitentiam benè ſpera: adeſt enim & nunc eadem gratia. Confide Ieruſalem: abſtulit enim dominus iniquitates tuas: abluit dominus ſordes filiorum eius, & filiarum eius. In ſpiritu iudicij, & in ſpiritu combuſtionis, ſparget ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omni peccato veſtro. Saltabunt circa vos angeli, & dicent: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata, & confirmata ſuper patruele ſuo? Quæ enim anteà fuerat ſerua anima, nunc patruelem ipſum dominum aſcripſit. Qui non ſimulato propoſito acclamat: Ecce pulchra es, ecce es pulchra propinqua mea. Dentes tui ſicut greges tonſarum. Idq; fit propter bona conſcientia factam confeſsionem, & reliqua. Vtræque permanentes: propter duplicem gratiam: dico autem eam, quæ ex aqua & ſpiritu perficitur, vel per illam quæ ex veteri & nouo teſtamento ſibi mutuò reſpondet. Faxit Deus, vt vos omnes curſum ieiunij perficiatis, recordantes ea, quę vobis dicta ſunt, fructificantes in operibus bonis, & incontaminatè ſpiritali ſponſo aſsiſtentes, remiſſionem peccatorum conſequamini à Deo. Cui gloria cum filio & ſpiritu ſancto, in ſecula ſeculorum, Amen.

CATECHESIS QVARTA ILLVMINATORVM

Hieroſolymis extemporanea. De decem dogmatibus: Et lectio, ex Epiſtola ad Coloſſenſes, Cauete ne quis vos ſeducat per philoſophiam & vanum erronem, ſecundum traditionem hominum, ſecundū elementa mundi: & quæ ſequuntur.

IMitatur virtutem improbitas, & zizania contendit triticum videri, quod quidem ſpecie quadam tritico aſsimilatur, guſtu autem à ſentientibus facilè diſcernitur. Et Diabolus quoq; transformatur in angelū lucis. Nō quòd eò, vbi quondā erat, aſcenderet: Sed vt vitā angelis ęqualē ducens, homines cæcitatis caligine & incredulitatis peſtilētia coràm irretiret. Multi lupi obambulāt in veſtimētis ouiū, & veſtes quidem ouiū nanciſcuntur, ſed non & vngues aut dētes. Ac pelle quidē manſueta induti, ſpecie probitatis decipiunt: Pernicioſum verò impietatis venenum, ex dentibus emittunt. Opus eſt igitur diuina gratia, & ſobria mente, & vigilantibus oculis: ne zizanijs pro tritico veſcentes, imprudenter pereamus: neúe lupum exiſtimantes eſſe ouem, capiamur: neúe perditorem noſtrum diabolum, bonum eſſe angelum putantes, deglutiamur. Circuit enim tanquàm Leo rugiens, quærens quem deuoret, vt ſcriptum eſt. Propterea nos Eccleſia admonet: propterea lectiones fiunt. Pietatis enim modus in his duobus conſiſtit: in piorum dogmatum cer-

Pietatis ratio in duobus conſiſtit.

tudine,& bonis operibus: ita vt neque dogmata sine bonis operibus accepta sint deo:neque absque pijs dogmatibus opera perfecta suscipit deus. Quid enim prodest, scire quidem diuina dogmata pulchrè,scortari verò turpiter? Quid rursus confert temperare sibi à malis,& blasphemare impiè. Maxima igitur est possessio,dogmatum scientia, sed opus est temperanti anima:quoniam multi sunt, qui per philosophiam, & vanos errores decipiunt. Et Græci quidem per eloquentiam capiunt. Mel enim fluit de labijs mulieris fornicariæ. Qui verò ex circumcisione sunt per sacras scripturas, quas malè interpretantur,accedentes decipiunt, à puero sese exercentes vsque ad senium, & in insciti a consenescunt. Hæreticorum autem filij per blādiloquētiam & facundiam seducunt corda hominum minimè malorum: qui grato Christi nomine,impiorum dogmatum venena occultant, De quibus omnibus simul dicit dominus: Videte,ne quis vos in errorem inducat. Atque ideo & fidei doctrina,& illius enarrationes fieri solent. Sed ante fidei traditionem, operæpretium existimo nunc continua repetitione atque summaria, necessaria dogmata comprehendere:ne multitudine dicendorum, & interuallo dierum totius sanctæ quadragesimæ obliuio eorum, quæ diligenter mente tenenda essent,vobis inducatur. Summatim itaque nunc ea spargemus, vt deinceps cùm latiùs excolentur & explicabuntur, non eorum obliuiscamur. Tolerabunt autem eum vsum, quicunque adsunt perfectiores, & sensus iam habent exercitatos, ad bona malaque discernenda, cùm audient hanc paruulorum in Christo,lacteam introductionem:vt simul hi qui egent instructione vtilitatem ex his capiāt, & qui iam hæc antea norunt, refricent eorum memoriam.

Scientia possessio maxima.

Hæretici quomodo seducant.

Lactea introductio.

DE DEO.

PRImū igitur dogma de Deo in anima vestra fundetur: quòd Deus vnus est ingenitus,sine principio,immutabilis,non alterabilis,neque ab alio factus:neque alium habens vitę successorem:nec in tēpore viuere incipiēs,nec vnquā desiturus. Et quòd ipse est bonus & iustus. Vt si fortè aliquādo audias hæreticū dicētem,quòd alius sit iustus,alius verò bonus,statim eius recorderis & agnoscas hæreseos venenum. Ausi enim sunt nonnulli,impiè vnum Deum diuidere sermone,& aliqui dicebant,alium esse animæ opificem & dominum,alium verò corporum, absq; ratione simul & absq; pietate docētes. Quomodo enim duorū dominorum vnus homo seruus esset? cùm dñs dicat in euangelijs:Nemo

potest

poteſt duobus dominis ſeruire. Vnus igitur eſt Deus ſolus,& animarum & corporum creator. Vnus eſt opifex cœli & terræ,angelorum & archangelorum creator,qui multorum quidē eſt opifex, vnius verò tantùm pater ante ſecula: vnius ſanè ſolius vnigeniti ſui filij, domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem etiam fecit omnia viſibilia & inuiſibilia. Hic pater domini noſtri Ieſu Chriſti,non aliquo circumſcribitur loco, neque minor eſt cœlo:verùm opera manuum eius ſunt cœli,&vniuerſa terra pugillo eius continetur. Hic in omnibus & extra omnia eſt. Non exiſtimes illum ſole minorem, vel illi æqualem eſſe. Qui enim ſolem creauit, ipſum oportet priùs multò incomparabiliorem eſſe, longeque lucidiorem. Prouiſor eſt omnium futurorum, & omniū potentiſsimus,ſciens & faciēs quicquid vult. Nō ſubiectus rerū ſucceſsionibus,neq; generationibus,neq; fortunæ, neq; fato. In omnibus perfectus, & omnē virtutis ideam æqualiter poſsidēs. Neque augmento,neque diminutioni obnoxius: ſed per omnia ſemper eodem modo ſeſe habet. Præparans pœnam peccatoribus, & iuſtis coronas. Cùm itaque aberrauerint quidam ab vno Deo, diuerſimodè multi ſentiebant. Ac alij quidem ſolem ponebant,vt occidente ſole,noctis tempore ſine Deo eſſent: alij verò Lunam, vt in die Deum non haberent. Alij verò res alias quæ ſunt in mundo,alij artes,alij voluptates. Et alij quoq; amore mulierum furentes,nudæ mulieris idolū in ſublimi ſtatuētes, adorabant,vt cupiditas illorum apparēret. Alij verò ob auri ſplēdorem in ſtuporem redacti,hoc ipſum & cæteras materias deos finxerunt. Si itaque aliquis doctrinam hanc de Monarchia dei,in mente fixerit, & illi crediderit, omnem ſimul malorum,& idololatriæ,& hæreſeōn errorem ac perniciem perciderit. Hoc itaq; primum eſt dogma pietatis,in anima per fidem fundandum.

Opifex omnium vnus.

Errores de Deo.

DE CHRISTO.

CRede autem & in filium Dei,vnum & ſolum dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Deum ex Deo genitum, vitam ex vita genitam,ex lumine lumen genitum,ὁμοούσιον hoc eſt,conſubſtantialem per omnia generāti. Qui non in temporibus eſſe cœpit: ſed ante ſecula ſempiternus,incomprehenſibiliter ex patre genitus. Sapientiam Dei,& virtutem & iuſticiam ſubſtantialem. Qui in dextera patris ante omnia ſecula ſedet. Neq; enim vt aliqui putabant,poſt paſsionem coronatus,& tanquàm à deo propter patientiam, accepiſſet à dextera thronum: ſed ex quo eſt(eſt autem ſemper) habet regiam dignitatem: aſsidens patri, Deus

Conſubſtantialis patri filius.

Subſtantialis iuſtitia Dei, filius.

existens & sapientia, sicut dictum est. Cùm patre simul regnans, & omnium per patrem opifex, non deficiés in deitatis dignitate, & cognoscens genitorem suum. Et vt summatim dicamus, illius quod in Euãgelio scriptum est meminero: Quòd nemo cognoscit filium, nisi pater: neque patrem quis cognoscit, nisi filius. Neque abalienes à patre filium, neq; commixtionem faciens ὑποστάσεων, filij patrisque confusionem quandã credas. Sed crede, quòd vnius Dei vnigenitus vnus est filius, ante omnia secula, Deus verbum, verbum non enuntiatiuè in aërem prolatum, neque verbis non subsistentibus assimiliatum, sed verbum filius, rationabilium effector. Verbum audiens patrem, & loquens ipse. Ac de his alio tempore, si Deus concesserit, latiùs vobis dicetur. Neque enim obliuiscemur, quod proposuerimus, nunc tantũ summarias fidei introductiones facere.

Verbum subsistens.

DE GENERATIONE EX VIRGINE.

CRede, quòd hic vnigenitus filius Dei, propter peccata nostra de cœlo descendit in terram, & earundem affectionum cum nobis, assumpsit humanitatem: & natus est ex MARIA virgine & spiritu sancto. Non opinione, non phantasia, humanitatem assumpsit, sed in veritate: non tanquàm per canalem transiens per virginem, sed verè incarnatus ex ipsa. Lacte nutritus verè, vereq; comedens, sicut & nos. Si enim phantasma erat illa incarnatio, phantasma & salus. Duplex erat Christus: homo quidem id quod apparebat, Deus verò quod intelligebatur. Comedebat quidem vt homo verè, ita vt nos, similes enim nobis corporis affectiones habebat: Vt Deus autem, quinque panibus aluit quinq; milia. Mortuus est verè vt homo, vt Deus autem mortuum quatriduanum excitauit. Dormiuit in naui verè vt homo, & ambulauit super aquas vt Deus.

Christi natura duplex.

DE CRVCE.

HIC crucifixus est pro peccatis nostris verè, ac si negare volueris, locus hic apparens te arguit: beatus hic mõs Golgotha: in quo nũc propter eum qui crucifixus est in illo applaudimus, & ligno crucis vniuersus terrarum orbis per partes repletus est. Crucifixus autem est, non pro suis peccatis, sed vt nos à peccatis liberaremur. Et contemnebatur quidem tunc ab hominibus, alapisque percussus vt homo. Agnitus verò est à creatura, quòd Deus erat. Sol enim videns inhonoratum dominũ, tremẽs defecit, neque spectaculum hoc potuit ferre.

Crucis lignũ per orbem diuisum.

DE

DE SEPVLCHRO.

IN sepulchro lapideo, verè positus vt homo: sed petræ propter ipsum præ timore scissæ sunt. Petræ metu scissæ. Descendit ad inferos, vt & illinc iustos liberaret. Cur enim vellet, viuentes quidem frui gratia, quamuis plurimi ex his sancti non essent: Qui verò cum Adam à longo tempore concluſi erant, deinceps non potiri libertate? Isaias propheta tanta de illo prędicauit: Et non vis, vt rex descendens liberet suum præconem? Dauid illic erat & Samuel, & omnes prophetæ: ac ipse Ioannes, qui ad eum per suos nuncios dicebat, Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Non vis vt descendens liberet tales?

DE RESVRRECTIONE.

QVi descenderat ad inferos, rursus ascendit. Et qui sepultus erat Iesus tertia die, verè surrexit. Ac si te fortè exibilent Iudæi, celeriter occurrẽs, sic eos interroga: Ionas tertia die de cœlo exiuit. Et Christus triduanus nunquid ex terra excitatus nõ est? Ossa Elisei mortuum contactu excitarunt: & factor hominum virtute patris, nunquid non multò faciliùs resurrexit? Surrexit igitur verè, & à resurrectione apparuit rursus discipulis, & duodecim discipuli testes sunt eius resurrectionis, qui nõ verbis tantum testimonium perhibebant, sed vsque ad tormenta & mortem de veritate resurrectionis certabant. Resurrectionis testes. Cum autem in ore duorum vel trium testium, stet omne verbum secundum scripturã: Duodecim verò resurrectioni Christi testimonium præbentibus: An adhuc resurrectioni non planè credis?

DE ASCENSIONE.

CVm iam patientiæ cursum perfeciſſet Iesus, & homines à peccatis redemisset, ascendit rursus in cœlos, nube ipsum suscipiente, & angeli quidẽ ascendenti assistebant: apostoli verò aspiciebant. Quòd si his dictis non credis, crede ipsi virtuti eorum, quæ nunc videntur. Omnes reges cùm moriuntur, vnà cum vita exuuntur omni potestate. Christus autem crucifixus nunc ab vniuerso orbe adoratur. Crucifixum nunc annunciamus, & tremunt dæmones. Multi quidem aliàs quoque crucifixi sunt, sed cuius alterius crucifixi inuocatio dæmones expulit. Non pudeat itaque nos crucis Christi. Quòd si aliquis id occultet, tu manifestè signa te cruce in fronte, vt dæmones signum regis videntes, trementes procul fugiant. Crucis signũ ad omnia præmittendum. Fac autem hoc signum, & manducãs & bibens, & sedens, & stans & loquens, & ambulans, in summa in omni tuo negotio. Crucifixus enim hic, suprà nũc in cœlis est.

Si enim is crucifixus,& sepultus permansisset in sepulchro, esset quod nos puderet. Nunc verò, qui in hoc Golgota crucifixus est,ex eo qui est ad orientem,monte oliuarum, ascendit in cœlũ. Hinc enim descendens in infernum,& rursus ad nos ascendens: à nobis deinceps illinc in cœlum ascẽdit, patre ipsum aduocante,& dicente: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

DE FVTVRO IVDITIO.

HIc Iesus Christus, qui ascẽderat, veniet rursus de cœlis,non de terra,eò quòd multi antichristi nũc de terra vẽturi sunt. Iam enim vt videtur,cœperũt multi dicere:Ego sum Christus:& ventura quoq; est abominatio desolationis, quæ sibi falsum nomen imponet. Tu verò non ampliùs verum Dei filium vnigenitum,non ampliùs de terra,sed de cœlis vẽturum expectes: super omnem corruscationem & splendorem luminis omnibus apparẽtem,& ab angelis stipatum: vt iudicet viuos & mortuos, & regnet in regno cœlorũ in sempiterna secula. Cõfirma fidem tuã &in hoc:sunt enim multi,qui dicunt,finem esse regni Christi.

Cyrilli tempore multi iã Christos se vocabant.

DE SPIRITV SANCTO.

CRede & in spiritũ sanctum, & rectam habeas de illo sententiam. Multi enim sunt alieni à spiritu sancto,qui nefanda de illo docẽt. Tu verò disce,vnum esse spiritum sanctum, indiuisibilem,& multarũ virtutum,multa operantem, ipsum verò non partibilem. Cognoscentem mysteria, & perscrutantem omnia, etiam profunda Dei. Qui in specie columbę super dominum Iesum Christum descẽdit, qui in lege & prophetis operabatur,& nunc tempore baptismi,animam tuam obsignat. Cuius sanctificatione vniuersa intellectualis natura indignet. Quẽ si quis ausus fuerit blasphemare,nõ habet remissionem peccatorum,neq; in hoc, neq; in futuro seculo. Cui cum patre & filio æqualis dignitas,& honor exhibetur. Quo indigent throni & dominationes,principatus & potestates. Vnus enim est Deus pater Christi, & vnus dominus noster IESVS Christus,vnus dei vnigenitus filius, & vnus spiritus sanctus:qui omnes sanctificat: qui in lege & prophetis,in veteri nouoq; testamento locutus est.Hoc signaculum vbiq; circumfer in mente tua, quod nunc quidem summatim & leniter tibi tradidimus:deinceps verò,Deo volẽte, ex sacrarum scripturarum demostratione, singula,vt fieri poterit, comprobabimus.Necesse est enim de diuinis & sanctis fidei mysterijs,

Spiritus sãctus animũ obsignat.

Spiritu sancto indigent angeli.

sterijs : neque sine sacris scripturis temerè quicquam tradere, nec simplici credulitate & verborum apparatu circumferri : neque mihi hæc dicenti simpliciter credas, nisi demonstrationem annũtiatorum, ex sacris litteris accipias. Salus enim ipsa fidei nostræ non ex commentitia disputatione, sed ex demonstratione diuinarum scripturarum est.

Mysteria fidei nulla sine litteris.

DE STATV HOMINIS.

POsteaquam autem venerandam hanc & sanctissimam fidem cognoueris, deinceps nosce teipsum, quis nam es? quod duplex homo sis cõstitutus, ex anima & corpore compositus, quòd etiam, sicut paulò ante dictum est, idem Deus, & animæ & corporis est opifex. Cognosce autem animam esse sui iuris, seu voluntatis liberæ, opus Dei pulcherrimum, secundum factoris imaginem immortale per eum, qui immortalitate illud donauit, animal rationale, incorruptibile per eum, qui gratiam illi contulit, potestatem habẽs facere quæ velit. Neque enim ex generationis natura peccas: neque propter animam fornicaris: neque vt nonnulli fingunt, astrorum inclinationes, ad amplectendam impietatem te cogunt. Cur tua ipsius mala confiteri detrectas? cur innocuis astris culpam ascribis? Non ergo deinceps attendas astrologis, de his enim sacra dicit scriptura: Stent & saluent te astrologi cœli, & terræ. Ecce omnes sicut stipula igne comburentur, & non liberabunt animam ipsorum de flamma. Disce autem & hoc, quòd priusquàm adesset in hoc mundo anima, nihil peccauit: sed venientes sine peccato, nũc ex nostro arbitrio peccamus. Ne quem audias differentem malè. Scis hoc dicere: Quod nolo, hoc facio: sed memineris etiam dicentis. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Et Sicut exhibuistis membra vestra serua immunditiæ & iniquitati, & ad iniquitatem, ita & nunc exhibete membra vestra serua iustitiæ in sanctificationem. Et memineris quoque scripturæ, quæ dicit, Et sicut putauerũt Deum non habere in cognitione. Et quod notum est Dei, manifestum est in ipsis. Et, quod oculis suis conniuebant. Et rursus, vbi Deus conqueritur & dicit: Ego plantaui te vineam fructiferam: quomodo versa es in amaritudinem. Vinea aliena? Immortalis est anima. Omnes animæ tam virorũ, quàm mulierum pulchræ & similes sunt, sed membra tantùm corporis discrimen faciunt. Non est aliquis ordo animarum, quæ ex natura peccent: nec est vllus ordo animarum, quæ ex natura iustè agant: sed vtraque hæc volũtate fiunt, quamuis vnius speciei, & similis sit in omnibus

Anima est liberi arbitrii.

Astrologis non attendẽdum.

Anima Status.

Animæ virorum & mulierum similes.

bus animabus ſubſtantia. Scio quidem, & quàm multa dico, & quàm longum iam tempus ſit. Sed quid maiori ſtudio ſuſcipiendum eſt, quàm ſalus? Non vis laborans ſumere viaticũ aduerſus Hæreticos? Non vis cognoſcere viæ diuerticula? Ne ex ignorantia in præcipitium adducaris? Si magiſtri lucrum putant eſſe non paruum, te iſta docere, tu qui diſcis, nunquid non debes ſuauiter ſuſcipere dictorũ multitudinẽ? Liberũ arbitrium habet anima: & poteſt quidẽ Diabolus incitare, cogere autẽ prẽter voluntatẽ, omninò nõ poteſt. Subijcit tibi ſcortationis cogitationes, ſi vis probas, ſi nolis, improbas. Si enim ex neceſsitate ſcortareris, cuius gratia gehennã Deus paraſſet? Et ſi naturâ, & non volũtate iuſtè ageres, cur Deus coronas pararet? Manſuetum eſt animal ouis, neque tamen illa propter manſuetudinem coronatur: quoniam illa manſuetudo non ex voluntate, ſed à natura illi ineſt.

Liberum habet anima arbitrium.

DE CORPORE.

COgnouiſti dilecte hactenus, quantum ſufficit de anima, accipe & de corpore, quantum fieri poteſt, reliquum ſermonem. Non patiaris tibi à quoquam perſuaderi, quòd alienum ſit à Deo corpus hoc. Qui enim alienum eſſe à Deo, corpus credebant, tanquã alieno quodam vaſe, in ſcortationẽ ipſo facilè abuſi ſunt. Quid autem damnabant in hoc admirando corpore? Quæ pulchritudo illi deeſt? Quid non eſt in illius compoſitione artificioſum? Nunquid non debebant, ſplendidiſsimam oculorum conſtitutionem conſiderare? Quomodo aures à latere poſitæ, citra vllum impedimentum auditum ſuſcipiunt: Et quemadmodum olfactus quidem odores ſuſcipit, & vim illorum diſcernẽdorum habet. Lingua verò, quomodo duabus rebus ſeruit, & guſtui & ſermoni. Quomodo pulmo in abſtruſo poſitus loco, inceſſabilem tamen habet aëris reſpirationem? Quis aſſiduam cordis palpitationem condidit? Quis venas, & totidem arterias diſpoſuit? Quis oſsibus neruos, ſeu robur inſeruit? Quis partem quidem cibi in ſubſtantiam, partem verò in aptam egeſtionem diſcernit? & membra verenda in conueniẽtibus occultauit locis? Quis defecturam humanam naturam, per facilem communionem, indeficientem conſtituit? Non ergo corpus accuſes. Si enim corpus eſt cauſſa peccati, quare mortuum non peccat. Appone arma dexteræ mortui, & cædes ab illo nõ fit. Ab eo qui nuper mortuus eſt, omnis pulchritudo iuuenilis receſsit, & concupiſcentia fornicationis non fit. Cùm ergo non peccat per ſe corpus, ſed per illud anima peccat, inſtrumentum quoddam eſt animæ cor-

Corpus non alienum à Deo.

Corpus non eſt cauſſa peccati.

Corpus inſtrumentum animæ.

corpus: & tanquàm veſtis & ſtola animæ. Et ſi ſub illa fornicatio fuerit perpetrata, immunda efficitur: ſi verò anima ſancta inhabitet, templum ſit ſpiritus ſancti. Non ego hæc dico, ſed Paulus apoſtolus hæc dicebat: Neſcitis quòd corpora veſtra, tẽpla ſunt ſpiritus ſancti, qui in vobis habitat. Parce itaque corpori, tanquã templo ſpiritus ſancti. Non fœdes in fornicationibus carnem, ne polluas ſtolam pulcherrimã. Quòd ſi polluiſti, ablue per pœnitentiam: nunc enim tempus eſt ablutionis. Ac præcipuè de temperantia ſermonem audito, ſecundum ordinem ſolitariam vitam agentium, & virginum vitam æqualem angelis ducentiũ. Magna vobis repoſita eſt, fratres, corona. Ne parua voluptate vendatis magnam dignitatem. Audite quid dicat Apoſtolus: Eſt ne aliquis impurus ſicut Eſau, qui pro eſca vendidit primogenita ſua? Sed tu in libros Euangelicos inſcriptus cùm ſis, propter inſtitutum continentiæ, caue igitur, ne delearis propter ſcortationem. Neque rurſus cùm magnoperè ſtudes temperantiæ, ſis inflatus aduerſus illos, qui occupati ſunt nuptijs: nam & hi mundi ſunt. Honorabile enim coniugium, & thorus immaculatus, dicit Apoſtolus, & tu qui id ignoras, nũquid non ex nuptijs natus es? Non ergo ideo, quòd aurum poſsides, argẽtum reprobes. Sed in bona ſpe conſiſtant, & hi qui nuptijs legitimè vtuntur: non autem illis procaciter abutantur, per intemperantiam. Qui norunt tempus continendi, vt vacent orationi: qui vnà cum veſtimentis, munda ad conuentus Eccleſiæ: adferunt corpora, qui ſtudio liberorum, non ſtudio voluptatis, ad nuptias accedunt. Et monogami quoque eos, qui ad ſecundas nuptias aſpirãt, non reprobrent. Bona eſt continentia, & admiranda, verumtamen per diſpenſationem fieri poteſt, vt quis ſecundam vxorem ducat: ne in errorem incidant impotẽtes. Bonum quidem eſſet illis, ſi permanſerint ſicut & ego, dicit apoſtolus: ſi autem non continent, nubant: melius enim eſt nubere, quàm vri. Reliqua autem omnia procul exterminentur, fornicatio, adulterium, & omne genus impudicitiæ. Cuſtodi corpus domino mundum, vt & dominus reſpiciat corpus. Alis corpus cibis vt viuat, & ſine impedimento miniſtret.

Virgines & heremitæ æquangelici

Nuptiæ ſint ſtudio liberorum.

DE CIBIS.

ET de cibis iſta vobis ſint dogmata: quandoquidem multi circa cibos quoq; impingunt: alij enim idolothytis indifferenter accedunt, alij verò abſtinent, ſed iudicant tamen manducantes: & duplici modo circa cibos quorũdam anima polluitur, qui

Ieiunium à vino & carnibus.

ignorant debitas mãducandi cauſas. Ieiunamus enim, à vino & à carnibus abſtinentes: non quòd hæc tanquàm abominationes oderimus: ſed quòd præmium expectamus: vt ſenſibilia deſpicientes, ſpirituali deinceps & intellectuali mẽſa fruamur: & nunc ſeminantes in lachrymis, in futuro ſeculo in exultatione metamus. Non igitur contemnas eos, qui manducãt, & propter corporum infirmitatem cibos ſumunt: neque vituperes, qui modico vino vtuntur propter ſtomachum, & crebras infirmitates. Ac neque ipſos condemnes tanquàm peccatores, neque tanquàm abominabiles oderis carnes. Sciebat enim quoſdam tales futuros Apoſtolus, dicẽs: prohibẽtes nubere, & veſci cibis, quos deus creauit in vſum credentibus, & cum gratiarum actione ſumẽtibus. Abſtinens igitur ab his, non tanquàm ab abominabilibus abſtine: alioquin præmium non habes: ſed bona contemne, propter ea, quæ propoſita ſunt ſpiritualia meliora. Confirma certò animam tuam, ne quid manduces, quod idolis eſt oblatum. De cibis enim, nõ modò mihi nunc, verùmetiam apoſtolis, & ipſi Iacobo, huius eccleſiæ Epiſcopo, ſtudium fuit. Et ſcripſerant apoſtoli, & presbyteri ad omnes gentes catholicam Epiſtolam: Præcipientes abſtinere ab odolothytis, tum verò à ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione. Multi enim feri homines, & more canum viuentes, ſanguinem quidem ſæuiſsimarũ belluarum in modum lambebant: ſuffocata verò crudeliter vorabant. Tu verò Chriſti ſeruus, cùm mãducas, cum modeſtia quadam manduca. Ac de cibis hæc ſufficiant.

A ſanguine & ſuffocato abſtinebatur.

DE VESTITV.

Amictus ſaltẽ ad neceſſitatem.

AMictu ſimplici vtare: non ad ornamentum, ſed ad neceſsitatem: nõ, vt molliciei ſtudeas, ſed vt hyeme calefias, & corporis ignominiam contegas: neque tamen prætextu iſto tegendæ turpitudinis, ſuperfluis veſtibus, in aliam turpitudinem incidas.

DE RESVRRECTIONE.

MOdeſtè, vt tractes corpus, hoc te moneo, & cognoſce, quòd cum corpore reſurges ad iudicium. Quòd ſi quæ infidelis cogitatio tibi in mentem veniat, tanquàm ea res fieri non poſsit, ex his quæ in te ſunt, perſpice ea, quæ nõ apparent. Tu ipſe enim dic mihi, vbi ante centum & amplius annos fueras? recogita ex quanta exiguitate, & viliſsima ſubſtantia, in tantam ſtaturæ magnitudinem, & tantam pulchritudinis dignitatem euectus es. Tũ verò, qui potuit id, quod nõ erat, vt aliquid eſſet, producere

id

id quod iam est,cum ceciderit,restituere iterum nõ poterit? Qui frumentum propter nos seminatum, quot annis mortificatum excitat,nunquid nos ipsos,propter quos & ipse surrexit,difficile suscitabit? Cernis quomodo arbores tot mensibus sine fructu & folijs sunt,sed hyeme prætereunte, rursus tanquàm ex mortuis reuiuiscunt?Et nõ multò faciliùs nos reuiuiscemus?Virga Moysi,in disparatam serpentis naturam,voluntate Dei mutata est:& homo cadens,rursus in seipsum non restituetur? Non attendas ergo his,qui negant corpus hoc resurrecturũ. Nam quod resurget,etiam Esaias testatur. Excitabuntur,inquit,mortui,& resurgent,qui sunt in monumentis,& multi qui in puluere terrę dormiunt.Suscitabuntur,vt inquit Daniel,hi quidem in vitam ęternam,hi verò in ignominiam æternam.Omnes quidem homines resurgent,sed nõ omnium similis erit resurrectio. Omnes enim ęterna accipiemus corpora,sed non omnes similia.Nam iusti,accipient,vt in æternum cum angelis lætentur:peccatores autem, vt in æternum pœnas peccatorum luant. Quamobrem prospiciens nobis benignitatis dominus, lauacri pœnitentiam dedit, vt multitudinem peccatorum,imò onus vniuersum abijcientes, & sancti spiritus recipientes signaculum, regni cœlestis hæredes efficiamur.Sed cùm de lauacro satis paulò antè dixerimus,ad reliquas Isagogicas doctrinas deinde pergamus.

Resurrectio qualis.

DE SACRA SCRIPTVRA.

HAEc docent nos diuinæ scripturæ, tam veteris, quàm noui testamenti, Quòd vnus est amborum testamẽtorum Deus: Qui Christum in nouo apparentem, in veteri prænunciauerat: qui per legem & prophetas, vt per pœdagogos in Christũ ducebat. Antequàm enim fides veniſſet, sub lege custodiebamur: & lex pœdagogus noster erat in Christo. Ac si quãdo hæreticorum audieris aliquem blasphemantem legem & prophetas:Respondeilli salutaria verba,dicens: Non venit Christus legem soluere, sed adimplere. Et diligenter ab Ecclesia disce,qui sint veteris, & qui noui testamenti libri,& nihil apocryphum legas: cùm enim ne ista quidem,quæ omnes confitẽtur,scias,quid in dubijs discere laboras? Lege sacras scripturas, nempe viginti duos veteris testamenti libros,quę à septuaginta duobus interpretibus translatę sunt.Alexandro enim Macedonorum rege defuncto,& regno eius in quatuor principatus diuiso: In Babiloniã, Macedoniam, Asiam, & AEgyptum: Vnus ex his qui in AEgypto regnabant, Ptolomęus Philadelphus, cùm esset litterarum studiosissimus

Apocryphæ non legenda.

rex,& vndiquaque libros congregaret, à Demetrio phalereo,bibliothecæ prçfecto,de legis &prophetarum diuinis libris audiẽs: & longè melius esse iudicans non coactè à nolentibus libros consequi:sed donis placare homines, & amicitiam eorum sibi conciliare,quò posset optatis potiri.Eò quòd intelligeret id quod coactè fit,& non voluntariè datur, dolo persæpè non carere,quod verò spõtè & liberè exhibetur, omni cum veritate donatur. Eleazaro tum apud Iudæos summo sacerdoti,plurima dona misit in templum,quod hîc extat Hierosolymorum,& sex viros. Secundum duodecim tribus Israël, ad se interpretes mitti postulauit. Et vt diuinæ legis esse hos libros experientia disceret,& ne ij qui fuerant ad illum missi, mutuò conspirarent,prospiciens in insula Pharo,quæ est prope Alexandriam: singulis interpretibus singulas domos distribuit,& vnicuiq;, vt separatim omnes scripturas interpretaretur, mandauit. Qui cùm in septuaginta duobus diebus negotium id perfeciissent, simul omnium interpretationes, ex diuersis domibus prodeuntes,protulerunt. Collatis autem simul non solùm in sensibus: verùmetiam in verbis consonas inuenit. Non facundia & apparatu sophismatum humanarum factum id fuerat:sed ex spiritu sancto,diuinarum scripturarum interpretatio perfecta est. Istorum igitur hos viginti libros lege,cum apocryphis verò nihil habeas negotij, has tantùm studiosè meditare scripturas, quas in Ecclesia confidenter legimus. Multò prudentiores te, & religiosiores fuerant apostoli, & primi Episcopi, veritatis duces,qui nobis eas tradiderunt. Tu itaq; cùm sis filius Ecclesiæ,non transgrediaris illius terminos.

Sex viri ex singulis tribubus, veteris testa. 72. interpretes erant.

Septuaginta interpretes 72.diebus opus suũ confecerunt singuli separatim.

Diuina 70. interpretum interpretatio.

DE LIBRIS.

Libri veteris testamenti.

AC veteris quidem testamenti,vt dictum est, viginti duos meditare libros,quos, si ita cupis, poteris ex me nominatim audire.Legis quidem sunt,primi quinq; libri Moysi,Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomion. Deinde verò Iesus Naue,& liber Iudicum cum Ruth septimus. Reliquorum verò historicorum librorum, primus & secundus regum, vnus est apud Hebræos liber:vnus etiã, qui nunc dicitur, tertius & quartus,similiter quoq; & Paralipomenon primus & secũdus, apud illos vnus est. Et Esdræ primus & secundus, pro vno reputatur. Duodecimus liber est Esther.Et hæc sunt historica, Carmine verò scripta sunt quinq; Iob,& liber Psalmorũ,&Prouerbia,& Ecclesiastes,& Cantica canticorum, septimus & decimus liber.Posteà prophetici libri quinq;.Prophetarum vnus liber,& Esaiæ,&

Carmine scripti libri qui sint.

Hiere-

Hieremiæ, cum Baruch,& Tremis, & epistola deinde Iesekiel,& Daniel,Viginti duo libri veteris testamenti.

Noui autem testamenti, quatuor tantùm Euangelia:reliqua autem falsò inscripta,& pernicioſa sunt. Scripserunt enim Manichęi secundum Thomam Euangelium:quod Euangelico nomine coloratum,animas simplicium corrumpit.Suscipe autem & Actus duodecim Apostolorum. Adhæc,septem Iacobi, Petri, &Ioannis & Iudæ Epistolas catholicas.Obsignationem verò omnium discipulorum vltimam, Pauli quatuordecim Epistolas. Reliqua autem omnia in altero loco repone.Et quotquot in Ecclesijs leguntur. Quæ autem in Ecclesijs non leguntur,eas neque tu legas. De quibus ista sufficiant. Fuge autem omnem diabolicam operationem, & ne patiaris tibi quicquam persuaderi à Dracone apostata:qui ex bona sustantia spontaneam habuit mutationem: qui persuadere quidem potest volentibus, cogere autem nõ potest. Tum verò neq; astrologis, neq; augurijs,neq; diuinationibus vllis mentem adhibeas: neq; fabulosis idolorum oraculis.Veneficium autem,incantationem,& necromantię scelera,ne ad aures quidem admitte. Procul sis ab omni genere intemperantiæ:neque gulosorum, neq; luxuriosorum,nec maximè auarorum congregationibus accede: neq; ijs qui ethnica speculantur, neque vllis conuentibus eiusmodi,quibus aliquando vacabas. Auerseris & tabernariorum vilitatẽ.Ab omni sabbatorum obseruatione abstine,neq; commune aliquid in cibis diuersis esse,aut immũdum dixeris. Præcipuè autem omnia hæreticorum conuenticula oderis.Et omninò animam tuam munias, & stabilias ieiunijs,orationibus,eleemosynis,& diuinorum eloquiorum lectionibus:vt cum temperantia & pia *doctrina,reliquo vitæ tuæ tempore, vnica lauacri salute perfruaris:atque sic conscriptus, à deo & patre omnium, in cœlis potiare corona:in Christo Iesu domino nostro:cum quo gloria patri,cum sancto spiritu in secula seculorum, Amen.

Thomæ Euangelium.

Astrologia & diuinatio vitanda.

Hæreticorũ conuenticula.

Ieiuniis & eleemosynis anima munitur.

**Constitutionibus laudabilis.*

Hieroſolymis ex tempore dicta De Fide. Et lectio, ex epiſtola ad Hebræos: Eſt autem fides ſperandarum ſubſtãtia rerum, argumentum non apparentium. In hac enim teſtificati ſunt ſeniores. &c.

QVantam vobis dignitatem contulerit dominus, ab ordine catechumenorum ad fideles tranſlatis, Paulus Apoſtolus aſsiſtens, dicit: Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in participationem filij eius. Deo, fidelis nomine, vocato, & tu hanc eandem accipis appellationem, magnamque accipis dignitatem. Quemadmodum enim deus bonus & iuſtus vocatur, & omnipotens & opifex vniuerſorum: ſic & fidelis. Cogita ergo in quantam proueheris dignitatẽ, cùm diuinę eris futurus particeps appellationis. Hic igitur deinceps quærite, vt fidelis inter vos aliquis ſecundum conſcientiam reperiatur. Virum enim fidelem inuenire, hoc opus, hic labor eſt. Non vt demonſtres mihi conſcientiam: neque enim ab humano die inducandus es: ſed vt Deo ſynceritatem fidei oſtendas, qui ſcrutatur corda & renes, & cognoſcit hominum cogitationes. Magnum quiddam eſt vir fidelis, omniq; diuite ditior. Fidelis enim viri eſt, vniuerſus mundus diuitiarum, qui poſsit contemnere ipſas & conculcare. Nam qui ad apparentiam diuites ſunt, multaq; poſsidẽt, in anima pauperes ſunt. Quantò plura enim cõgregant, tantò magis eorum, quæ deſunt, concupiſcentia tabeſcunt. Fidelis autem vir, quod eſt maximè paradoxon, in paupertate diues eſt. Sciẽs enim, quòd tãtum habere neceſſe eſt, quibus tegamur, & veſcamur, & his cõtentus, ſpernit diuitias. Neque verò apud nos tantùm, qui ſic appellamur, magnum quid fides eſt: verùmetiam omnia quæcunque in mundo geruntur, & quę ab his, qui ſunt extra eccleſiam peraguntur, in fide conſiſtunt. Fide ſunt leges nuptiales, quæ diuerſos in idem copulant, & homo alienus, per eam, quæ eſt in contractibus ſponſalitijs, fidem corporum & pecuniarum particeps efficitur. Fide etiam conſiſtit agricultura: niſi enim crederet vſufructum ſeſe percepturum, non ſuſtineret eos labores. Fideles & hi, qui nauigant in mari, exiguo enim ligno credentes, inſtabilem fluctuum agitionem, ſæuiſsimi elementi, pro terra commutant, & incertę ſpei ſeſe exponunt, & omni ancora tutiorem circumferunt fidem. Per fidem itaque pleraq; omnia conſiſtunt humana negotia, idq; non tantùm apud nos ſic creditur, verùmetiam apud eos, vt dictum eſt, qui ſunt extra. Quãuis enim non recipiant ſcripturas: ſed ſuas quaſdam proferant ordinationes,

Fidelis, cognomen eſt Dei.

Diuites ſunt pauperes in anima.

Fide omnia in mundo cõſiſtunt.

nes,fide etiam illa recipiuntur. Ad fidem veram nos vocat,& hodierna lectio, viamque nobis præparat, quomodo oporteat & nos placere Deo. Quando enim acceſſerit homo ad ſeruiendum Deo, non credens illum futurum remuneratorem? Quomodo continebit puella, & iuuenis ſibi temperabit, ſi non crediderit, immarceſsibilem eſſe caſtitatis coronam? *Caſtitatis incorruptæ corona.*

Oculus omnem illuminans conſcientiam eſt fides, & intelligentiam efficiens. Dicit enim propheta: Niſi crediderit is, non intelligetis. Obſtruit fides ora leonum, ſicut de Daniele ſcriptura dicit: Quòd extractus eſt Daniel ex fouea,& nulla læſio apparuit in illo,eò quòd crederet Deo ſuo. Eſt ne quicquam Diabolo horribilius? ſed aduerſus hunc arma alia habemus nulla, niſi fidem. Scutum incorporeum, aduerſus hoſtem inuiſibilem. Emittit enim varia tela, & configit in tenebris non vigilantes. Sed cùm non apparet hoſtis, pallium habemus firmum fidem, quemadmodum Apoſtolus dicit: In omnibus aſſumentes ſcutum fidei, in quo omnia tela inimici ignea extinguatis. Ignitũ ſæpè telum, turpis voluptatis concupiſcentia, à diabolo emittitur, ſed fides ſubijciens menti iudicium, & refrigerans mentem, extinguit telum. Longus adeò eſt de fide ſermo, vt dies illi proferendo non ſuffecerit. Sufficiet autem nobis nunc ex antiquæ legis figuris ſolus Abraham, quandoquidem illius facti ſumus filij per fidem. Ille non ex operibus tantùm iuſtificatus eſt, verùmetiam ex fide multa perfecta officia fecit. Sed neque priùs amicus Dei vocatus eſt, quàm credidiſſet, & omne opus ſecundum fidem perfeciſſet. Reliquit parentes per fidem, deſeruit patriam, & regionem, & domum per fidem. Quemadmodum igitur ille iuſtificatus eſt, & tu iuſtificeris. Emortuo quoque fuerat corpore ad filiorum procreationem, ſenex enim erat, & ſenem quoque habebat vxorem Sarram, nec vlla ſpes procreationis liberorum illi reliqua fuerat: & tum Deus prolem illi futuram promiſit, non deficiens tamen in fide Abraham, & cùm emortuum iam corpus ſuum intelligeret: non corporis imbecillitati, ſed promittentis poteſtati animum adijciens, fidelemq; credens eum, qui promiſerat, emortuum illius corpus, filium procreauit, præter omnium opinionem. Et deinceps cùm iuſſus eſſet, offerre filium, quamuis iam audiſſet: In Iſaac vocabitur tibi ſemẽ: offerebat filium ſuum vnigenitum Deo, credens, quòd à mortuis poterit excitare Deus. Colligans filium ſuũ, & lignis imponens, voluntate quidem immolauit, diuina autẽ bonitate filium viuũ recepit, agno ipſi loco filij oblato. Cùm adeò fidelis eſſet, obſignatus eſt in iuſticiam, & circum- *Fides intellectum illuminat.* *Fides ſcutũ.* *Fides obſignat iuſtitiã.*

circumcisionem recepit, signaculum illius fidei in præputio, accipiens promissionem, quod erit pater multarum gentium: quomodo igitur est pater multarum gentium Abrahã, videamus. Iudæorum quidem esse illum secundum carnis successionem patrem, certum est: sed si carnem tantùm spectemus, falsum sit necesse est diuinum oraculum. Neque enim nostrum omnium est pater, secundum carnem, sed figura illius fidei, omnes vos Abrahæ filios facit. Quemadmodum incredibile est apud homines à mortuis resurgere aliquem, sic etiam credibile nõ est, ex senibus mortificatis, filios procreari: sed Christo annunciato, quòd in ligno crucifixus esset & mortuus, & quòd resurrexisset, nos credimus. Similitudine igitur fidei, deuenimus in adoptionem Abraham: Et tũc per fidem, similiter vt ille, accepimus spiritale signaculum, spiritu sancto, per lauacrum baptismi, circũcisi, non corporis præputium, sed cordis, secundum Ieremiam dicentem: Et circumcidetis præputium cordis vestri Deo, Sicut & Apostolus: in circumcisione, inquit, Christi consepulti ipsi in baptismate: Et quæ sequuntur.

Fides, Abrahæ nos facit filios.

Hanc fidem si custodierimus, irreprehensibiles erimus, omniq́ue genere virtutum ornabimur: adeo enim potens est fides, vt eos etiam, qui super mari ambulabant, leues efficere potuerit. Homo erat similiter Petrus, ex sanguine & carne compositus, & ex similibus cibis nutritus, sed dicente Iesu, veni, credẽs ambulauit super aquis, omni fundamento firmiorem super aquis habẽs fidem, & grauitatem corporis, leuitate fidei attollebat. Sed quandiu quidem credebat, super aqua tutum habuit gressum: cùm autem dubitauit, tum submergi cœpit. Vacillante enim aliqua ex parte fide, subsidebat simul & corpus: Et conscius huius affectionis eius, ille qui affectus animę corrigit Iesus, dixit: Modicæ fidei, vt quid dubitasti? Et rursus cõfortat⁹, ab eo qui manũ eius apprehẽdebat, ex quo rursus credidit manuductus à domino, illũ eundẽ super aquis gressum recepit. Huius enim nuper meminit Euãgelium, dicens: quòd ascendentibus ipsis in nauim. Non enim dixit, quòd posteaquàm trãsmisisset, Petrus ascendit nauim: Sed per hoc innuit, quòd quantum spacium confecit ad Iesum eundo, tantundem reuertens, ascendit rursus in nauim.

Fides, ex graui leue facit.

Tantam autem habet virtutem fides, vt nõ solùm ille qui credit saluetur, verùmetiam alijs credentibus, alij seruentur. Non erat fidelis paralyticus ille in Capernaum: sed qui ferebãt illum, & per tectum funibus demittebant, illi credebant. Compatitur enim corpori ægroti & anima. Et ne putes me illum accusare,

Fides qua pro alio creditur, vtilis est illi ad salutem.

Euan-

Euangelium ipſum dixit: Videns autem Ieſus fidem, non illius, ſed fidem illorum, dixit paralytico, ſurge. Illi qui ferebãt, credebãt, & paralyticus potitus eſt ſanitate. Et vis certiùs videre, quòd alijs credentibus, alij ſeruentur? Mortuus eſt Lazarus, præterijt vna, altera, & tertia dies, diſſoluti ſunt nerui illi⁹: & putredo corpus illius occupauit. Quomodo potuit credere mortuus quatriduanus, & pro ſeipſo orare redemptorem? Sed quod defuit mortuo, hoc per germanas ſorores cõpletum eſt. Veniẽte enim domino, procidit ſoror, & dicenti, vbi poſuiſtis eum, reſpondit illa: domine iam fœtet, quatriduanus enim eſt. Dicit dominus: Si credideris, videbis gloriam Dei. Quaſi diceret: Quod tu debes huic mortuo reliquum fidei replere. Et tantum potuit illa ſororum fides, vt mortuus à porta inferni reuocaretur. Si alij pro alijs credendo, potuerunt à mortuis ſuſcitari, tu verò pro teipſo ſyncerè credens, nunquid non multò magis tibi commodabis? Quin etiam ſiue infidelis ſis, ſiue fidelis, benignus eſt Dominus, clemẽter ſe offeret tibi pœnitenti. Tantum dic ipſe quoq;, Credo domine, adiua incredulitatẽ meam. Si autẽ fidelis eſſe videris, nondum tamen perfectionẽ fidei habes, opus eſt vt & tu cum Apoſtolis dicas: Domine adauge nobis fidem. Nam apud teipſum aliquid habes: ab illo verò permultũ accipis. Nomen fidei vnũ quidem eſt appellatiõe, dupliciter autem diuiditur. Eſt enim vnum genus fidei, quod habet dogmaticã de aliquo animę aſsẽſionem: Et cõmodat animę, ſicut inquit dominus: Qui verba mea audit, & credit ei, qui me miſit, habet vitam æternã, & in iudicium non veniet. Et, Qui credit, nõ iudicatur: ſed tranſlatus eſt à morte ad vitam. O magnam Dei clementiam. Iuſti quidem vix per multos annos probati ſunt: quod autẽ illi per longæ ætatis inueſtigationem corrigẽtes aſſecuti ſunt, hoc nunc Ieſus vna hora nobis donat. Si enim credideris, quia dominus eſt Ieſus Chriſtus, & quod Deus excitauit ipſum à mortuis, ſaluaberis, & trãsferreris in paradiſum. Propterea & latronem eò introduxit, vt non dubites, num id fieri poſsit. Qui enim latronem vna hora credentem, in hoc ſancto Golgotha ſeruauit, idem & te credentem ſeruabit.

Credẽte alio alius ſeruatur.

Fides dogmatica.

Alterũ autẽ genus fidei eſt, quod ex parte gratię à domino donatur. Alij enim per ſpiritũ datur ſermo ſapiẽtię, alij ſermo ſcientiæ, ſecundũ eũdem ſpiritũ: alij verò fides in eodẽ ſpiritu, alij autẽ gratia curationum. Hęc igitur ſecundum gratiam donata fides ex ſpiritu, non modò eſt dogmatica, verùmetiam ſuper humanas vires effectiua. Qui enim habet hanc fidem, dicit mõti huic, tranſi hinc illuc, & tranſit. Quando namq; per fidem dicit hoc

Fides gratia

aliquis credens quod fit, & non ambigit in corde suo, tunc accipit hanc gratiam. Et de hac fide dicitur: Si habueritis fidem sicut granum sinapis. Quod quidem minusculum est magnitudine, ardentius tamen vigore, & in exiguo loco seminatum, magnos continet ramos, tanquàm quòd & in alta augeri possit, & humilia cooperire. Sic & fides in anima, celerrimo actu, maxima perficit. De Deo enim speculatur, Deum intuetur: ita vt qui meretur fide illuminari, & mundi terminos circuit, & ante mundi huius consumationem, iudicium iam videt, & promissionum retributionem. Habens itaque fidem in illum, vt deinceps eam accipias ab illo, quæ super humanas vires operatur. Fidem verò si didiceris, & promissionem possidebis: & obserua illam à sola Ecclesia tibi nunc traditam, & ex omni scriptura munitam. Cùm enim non omnes possint scripturas legere: & alios quidem inscitia, alios verò occupatio quædam impedit à cognitione, ne ob inscitiam animam perdas, in paucis versibus vniuersam fidei doctrinam comprehendimus, quod in ipsa lectione meminisse vos volo, & apud vos ipsos studiosè recolere. Non in chartas inscribendo, sed in corde memoriam insculpẽdo, & in meditatione custodiẽdo, necubi catechumenus ea, quæ vobis tradita sunt, exaudiat. Habere autem hanc doctrinam tãquàm viaticum, omni tempore vitæ, & præter hanc aliam non suscipere decet. Nec si nos ipsi mutati cõtrarium his, quę docemus nunc, astruamus: neque si angelus contrarius, in angelum lucis transmutatus, seducere te voluerit. Nam etiamsi angelus de cœlis aliud euangelizauerit vobis, prẹter id, quod accepistis, anathema sit: Et vsque ad hanc quidem dictionem audiens, memineris fidei. Excerpe autem tempore opportuno ex sacris scripturis, quæ est insita illis, probationem. Non enim vt videtur ab hominibus, compositæ sunt res fidei, sed ex omni scriptura, quæ sunt potissima, vnam replent fidei doctrinam. Et quemadmodum semẽ sinapis in paruo grano, multos continet ramos: sic & fides in paucis verbis omnem tam veteris, quàm noui testamenti pietatis cognitionem inuoluit.

Fides Ecclesiæ sola seruãda.

Traditiones suas seruare iubet.

Videte itaque fratres, vt seruetis traditiones, quas nunc accepistis, & in latitudine cordis eas describite, & cum pietate illas custodiatis. Ne quando vacillantes aliquos inimicus dissoluat, ne quis hæreticus ex his quæ tradita sunt aliquid euertat. Fides quidem est, proijcere argentum super mensam: Deus autem à vobis reposcet depositos sermones. Cõtestor, vt inquit, Paulus, in conspectu Dei viuificãtis omnia, & Christi Iesu, qui professus est sub

Pontio

Pontio Pilato, bonam confeſsionem: vt hanc traditam vobis cuſtodiatis fidem intemeratam, vſque ad aduentum domini noſtri Ieſu Chriſti. Theſaurus vitæ nunc tibi traditus eſt: quem poſteaquàm apparuerit dominus, tãquàm depoſitum requiret, & temporibus opportunis illum oſtendet beatus & ſolus potens, rex regum, & dominus dominantium, qui ſolus habet immortalitatem, lucem inhabitans inacceſsibilem. Quem nemo hominum vnquam vidit, neque videre poteſt. Cui gloria, honor, & fortitudo cum ſpiritu ſancto, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

CATECHESIS SEXTA ILLVMINATORVM

Hieroſolymis extemporanea. De Monarchia Dei. In Credo in Deum: & de hæreſibus, & lectio ex Eſaia: Renouantur ad me Inſulæ Iſrael, & ſaluabit eas per dominum ſalute æterna, &c.

BEnedictus Deus, & pater domini noſtri Ieſu Chriſti. Et benedictus eius vnigenitus filius, ſimul vt enim intelligitur Deus, intelligitur & pater: vt indiuiſa patris & filij gloria perficiatur. Non enim aliam pater gloriam, & aliam filius habet: ſed vnam & eandem. Quandoquidem patris eſt filius vnigenitus: & cùm pater glorificatur, ſimul & filius gloria fruitur. Gloria enim filij ex honore patris ipſius. Ac rurſus glorificato filio, & pater magnificè honoratur. Et mens quidem celeriter intelligit: lingua verò verbis indiget, & longa enarratione eorũ, qui intercedunt, ſermonum. Simul quidẽ & ſtatim oculus aſtrorum ordinem comprehendit latiſsimum: ſed cùm de ſingulis velit aliquis diſſerere, quid ſit lucifer, quid heſperus, quid vnumquodque ſydus, multis indiget verbis. Sic & terram & mare, & omnes totius mundi oras, in momẽto celerrimo mens comprehendit, ſed quod ſtatim fit in mente, hoc multis verbis vix diſſeritur. Magnum autem & verborum eſt argumentum. Dicimus enim, non quæcunque oportet, de Deo: ſoli enim illi hæc nota ſunt: ſed quæ capere poteſt humana natura, & quanta noſtra infirmitas poteſt ſufferre. Neque enim quid ſit Deus exponimus, ſed vt quod exactè de ipſo neſcimus, ingenuè profiteamur: Nam in his quæ de Deo dicuntur, hæc maxima eſt ſcientia, ignorantiam fateri. Magnificate dominum mecum, & exaltemus nomen eius inidipſum, idque coniunctim omnes: vnus enim nequaquã poterit. Imò verò etiamſi omnes congregemur, non tamen ita, vt ęquũ eſſet, fecerimus, nõ modò vos qui hîc adeſtis: verùmetiã, ſi to-

Patris & filii gloria indiuiſa.

Proprietates Dei eloqui non licet.

Scientia in diuinis maxima, ignorãtiam fateri.

si totius Ecclesiæ catholicæ & præsentis & futuræ, omnes gentes & oræ conueniant, pastorem suum secundum dignitatem celebrare non poterint. Magnus erat Abraham & honorandus: sed magnus respectu hominum: cùm autem ad Deum respexit, tũc inquit, ingenuè confitens: Ego sum terra & cinis. Non dixit terra, & tacuit: ne seipsum magnũ elementũ terrã appellare videretur, sed addit, cinerẽ se esse: vt vilitatẽ, fragilitatẽ, & imbecillitatẽ suam ostenderet. Est ne autem quidquam cinere leuius, aut exilius? Accipe, inquit, comparationẽ cineris ad domum, & domus ad ciuitatem, & ciuitatis ad prouinciam. Prouinciæ ad Romanorum Imperium: & Imperij Romanorum ad vniuersam terram, & omnes terminos, rursus terræ totius ad circumdans illam cœlum. Cuius tanta est comparatio ad cœlum, quantum est punctum circuli ad totam circumferentiam. Tanta enim est cœli ad terram comparatio. Et primũ cœlum hoc, quod apparet, minus esse intelligas secundo, & secundum tertio. Huc vsque enim eos nominauit scriptura. Non quòd tot tantùm sint, sed quòd tot nobis cognoscere confert. Et cùm animo cœlos omnes perspicis: neque tamen cœli celebrare Deum, ita vt est, poterũt, etiamsi tonitrua habeant sonantissima. Si ergo tanta cœlorum magnitudo deum pro dignitate laudare non potest, quomodo tandem cinis vilissimus & minimus, dignas laudes Deo poterit tribuere? Qui continet orbem terræ, & illius habitatores tanquàm locustas in ipsa. Si quis audet de Deo dicere, primùm enarret terminos terræ. Terram inhabitas, & finem terræ ignoras. Quomodo conditorem eius commodè poteris cognoscere? Cernis stellas, factorem verò illarum non cernis. Numera priùs ea, quæ vides, & tũc illum, qui nõ apparet, enarra: eum qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus illis nomina vocat. Stillæ pluuiarum nuper copiosiùs influentis, parum abest quin perdidissent nos. Numera mihi huius tantùm ciuitatis guttas, non dico ciuitatis: sed numera tantum si potes, quę vnius horæ spacio super domum tuam deciderunt. Sed cùm sit impossibile, agnosce tuam imbecillitatem, & vel ex eo cognosce Dei potentiam. Numerantur enim ab ipso guttæ pluuiæ per vniuersam terram, nõ modò quæ nunc cadunt: sed quæ vnquam ceciderunt. Creatura est Dei Sol, & magnus quidem, sed minimus tamen respectu totius cœli. Attentè priùs aspicias solem, & tunc dominũ curiosè scrutare. Altiora te, ne quæsieris, & fortiora te, ne scrutatus fueris: vetatur tibi hæc cogitatio.

Deus pro dignitate nequit laudari

Dei substan

Sed dixerit aliquis: Si incomprehẽsibilis est diuina substantia, & cur

& cur tu de his differis? Nũquid igitur, quia totũ fluuium ebibere nequeo, id quod mihi commodum est, sub mensura non hauriam? Nunquid cùm solem oculis comprehendere nequeam: etiam lucis illius vsum quantum sufficit non aspiciam? Et si in hortum magnum ingressus fuero, & omne genus fructuum comedere non potero: vis ne, vt omninò esuriens inde exeam? Laudo & glorifico factorem nostrum: Mãdatum enim Dei est, quod dicit: Omnis spiritus laudet dominum. Et non dicit, vt enarret quid sit, aut quomodo sese habeat in sua essentia. Sed neque id nunc enarrandum aggredior, sciens, quòd in laudando dignitati illius non satis fecero. Opus autem pietatis existimans, & si id ratiõe in vniuersum liceat, aggrediar. Admonet igitur nos infirmitatis nostræ dominus, dicens: Deum nemo vidit vnquam. Quid igitur, dicat aliquis, nónne scriptum est: Quòd angeli paruulorum semper vident faciem patris, qui in cœlis est. Vident sanè angeli, sed non ita vt est, sed secundum quod est, & ipsi capiunt. Ipse enim Iesus dicit: Quòd patrem nemo vidit, nisi qui est de cœlo, hic vidit patrem. Vident angeli, ita vt capiunt, & Archangeli, ita vt possunt: Troni verò & dominationes, plus quidem quàm illi, sed minus tamen, quàm pro Dei benignitate. Solus autem spiritus sanctus, ita vt oportet videt, ille enim scrutatur omnia, etiam profũda Dei. Et vnigenitus Dei filius, ita vt oportet etiam cognoscit. Neque enim patrem quisquam cognoscit, nisi filius, & cui is reuelauerit. Videt quantum oportet, & enarrat per spiritum secundum quod vnusquisque capit Deum. Quoniam deitatis paternæ est particeps filius tanquàm vnigenitus. Genitor videt filium, & genitus videt gignentem. Angelis igitur ignorantibus eum, secundum propriam virtutem, vnicuique reuelat per spiritum sanctum vnigenitus: Ita vt diximus. Nemo hominum erubescat ignorantiam confiteri. Loquor nunc ego, & omnes suis temporibus: quomodo autem loquamur, dicere nequimus, eum autem, qui nobis dedit sermonem, quomodo eloqui poterimus? Animam ego habeo, cuius cùm facultates enarrare non possim, quomodo datorem animæ enarrare potero?

tia incomprehensibilis.

Angeli secundum quid vident Deum.

Filius & spiritus S. soli Deum vt est, vident.

Sufficiens nobis ad pietatem erit hoc solum scire. Quod Deũ habemus. Deum vnum. Deum existentẽ, & semper existentem, sibi perpetuò similem: cui pater non est alius, quo nullus potentior, quem nullus successor eiiciet è regno, qui multorum nominum est & omnipotens & substantiæ eiusdem speciei. Neque enim eò quòd vocatur bonus, & iustus, & omnipotens, & Sabaoth, propterea differens est, vel aliàs alius existens,

sed ipse vnus existens millenas emittit diuinitatis operationes. Non in parte abundans,& in parte deficiens, sed in omnibus similis est sibi: non tantùm in benignitate magnus, & paruus in sapientia:sed æqualẽ habens sapientiæ clementiam. Non ex parte vidẽs,ex parte autem visione priuatus: sed totus oculus,totus auditus,& totus mens. Non sicut nos, ex parte cognoscens, ex parte ignorans. Alioquin si secùs diceret, blasphemus esset sermo,& diuinæ substantiæ indignus. Prouisor est existentium,& sanctus,& omnium optimus,& omnium maximus, & omnium sapientissimus.Cuius neque formam,neque speciem eloqui poterimus.Neque enim vocem ipsius vnquam audistis, neque speciem eius vidistis, dicit scriptura. Itaq; ad Israëlitas, inquit Moyses:Et valde cauete animis vestris, quòd similitudinem non videtis.Si enim omninò similitudinem eius esset possibile imaginari, propinqua esset intelligentia illius substantiæ.Multi multa imaginati sunt, & omnes malè opinabãtur. Nam alij quidem ignem esse putarũt Deum, alij verò alatum tanquã hominem: eò quòd scriptũ sit benè,sed intellectũ malè: Sub vmbra alarum tuarum proteges me. Obliuiscebantur enim domini nostri Iesu Christi vnigeniti Dei,qui etiam de seipso similiter dicebat ad Ierusalem: Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina sub alas congregat pullos suos, & noluistis. Præsidiaria enim facultate illius, per alas significata,isti non intelligentes: sed humano more accipiebãt id,quod est inenarrabile. Nonnulli quoque septem oculos illum habere,ausi sunt dicere. Eò quòd scriptum sit:Septem oculi domini, respicientes super omnem terram. Si enim solos septem oculos ex parte habet, particularis igitur est illius visus, & nõ vniuersalis. Quod nefas est dicere. Deum enim in omnibus perfectum esse,credere necesse est,vt ipse saluator docebat. Pater vester cœlestis perfectus est. Perfectus in videndo, perfectus in potentia,perfectus in magnitudine,perfectus in scientia,perfectus in bonitate,perfectus in iustitia, perfectus in benignitate.Non loco circũscriptus, sed in omnibus locis existens, à nullo tamen comprehensus. Sedes ipsi cœlum: sed illud tamen excellit sedens, scabellum pedum eius terra, sed virtus illius ad subterraneos etiam permanat. Vnus est vbique præsens, omnia videns,omnia intelligens, omnia per Christum extruens. Fons omnis boni maximus,& indeficiens. Flumen beneficiorum:lumen assiduè corruscans: potestas insuperabilis, imbecillitatibus nostris collata. Cuius neque nomen audire sustinemus. Aut vestigium domini, inquit Iob inuenias, aut in extrema peruenias, quæ

Deus totus mens, totus oculus, totus auditus.

Similitudo Dei perfecta imaginari, aut videri nõ potest.

Opiniones falsæ de Deo.

Deus nusquã & vbique.

quæ fecit omnipotens. Si extrema factorum eius nõ capitis, quomodo ipsum capietis? Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ prępararuerit Deus diligentibus se. Si ea quæ præparauit Deus, mente nostra comprehendi non possunt: nunquid ipsum qui præparat, animo comprehendere poterimus? O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius, inquit Apostolus. Si iudicia & viæ eius incomprehẽsibiles sunt, num ipse comprehendetur?

Cùm itaque tantus sit Deus, imò longè maior, nec enim si me totum in linguam mutauero, satis dignè magnitudinem eius eloqui potero, imò verò si omnes angeli conuenerint, ita vt æquum est, id eloqui non possent: tantus igitur cùm sit Deus, homo tamen exsculpens lapidem, lapidi dixit: Deus meus es tu. O magnam cæcitatem, à tanta magnitudine, in tantam exilitatem delabi. Lignum quod Deus plantauit, & pluuia humectauit, & deinde cumbustum est, & in cinerem per ignem redactum, hoc Deus appellabitur? Abundauit autem adeò fornicatio idololatriæ, vt feles & lupos, & canes pro Deo adorauerint. Et leo hominum vorator, pro Deo humanissimo adorabatur: serpens & draco, ęmuli eius, qui nos ex paradiso eiecit, adorantur: & qui paradisum plantauit, contemnebatur? Pudet me dicere, & cæpe enim apud quosdam adorabatur. Vinum datum est, vt exhilaret cor hominis, & Bacchus pro Deo celebratur. Frumentum Deus fecit cùm diceret: Producat terra herbas graminis, quod seminet semen secundum genus: vt panis, cor hominis confirmet, vnde igitur est quod Ceres colitur? Ignis ex lapidum collisione etiam hodie elicitur, & vnde Vulcanus ignis factor? Vnde multitudo deorum Grẹcos errare facit? Incorporeus est Deus, & vnde adulteria arguuntur eorũ, qui apud ipsos dij vocantur? Taceo Iouis in cygnum mutationes. Pudet dicere illius in bouẽ transformationes: non decent enim Deũ mugitus. Mœchus apud Græcos Deus esse dicitur, & non verentur. Si enim adulter est Deus, non dicatur id mortalibus, ne desciscant & aspernentur istos, quos dicitis Deos. Et mortes, deffectionesque & tonitrua vocarunt Deos. Cernis ex quanta magnitudine quò deciderint. Quid igitur, num frustrà filius Dei descendit de cœlis? vt tantum vulnus sanaret? nunquid sine causa venit filius, vt pater agnosceretur? Cognoscis quid mouerit à dextra throni descendere vnigenitũ? Pater spernebatur, erat ergo necesse, vt filius corrigeret errorẽ: oportebat, vt is, per quẽ oĩa facta sunt, deduceret omnia ad emẽ-

Fornicatio idololatriæ.

Vini vsus hilaritas.

Mœchus gentium.

Filius Dei cur descendit

datio-

dationem. Quid enim hoc morbo fuerat pernicioſius, quàm ſi lapis pro deo coleretur? Neque verò apud Ethnicos tantùm inuexerat iſta Diabolus: ſed iam etiam multi falsò dicti Chriſtiani, fauſtiſsimoque Chriſti nomine infauſtè abutentes, audebant impiè Deum à ſuis creaturis abalienare. Dico autem iſtos hæreticorum liberos atheos deteſtabiles: qui ſimulabant ſe eſſe Chriſti ſtudioſos & amatores, cùm eſſent illius acerrimi oſores. Qui enim patrem Chriſti infamat, hoſtis eſt Chriſti. Auſi ſunt iſti di-

Deitas idem quod bonitas

cere, duas eſſe deitates, vnam quidem bonam, alteram verò malam. O ingentem cæcitatem. Si eſt Deitas, omninò eſt bona: ſi verò non bona, cur vocatur deitas, quandoquidem Dei eſt bonitas? Si Deo congruit benignitas, beneficentia, & omnipotentia, è duobus alterũ ſit: Si Deũ nomine vocabant, & operatione vocẽt: ſi priuabitur operationibus, nec Deũ vocent ſola appellatione.

Deos eſſe duos, impoſſibile.

Auſi ſunt hæretici dicere, duos eſſe Deos, & duos fontes, alterum boni, alterum mali, & eos ingenitos. Si ambo ingeniti, certũ eſt omninò, quòd æquales habeant vtrique vires. Quomodo igitur tollunt tenebræ lumen. Sed quid tandem, ſimúl ne ſunt, an ſeparatim? Simul enim eſſe non poſſunt: Quæ enim communicatio lucis cum tenebris? dicit Apoſtolus. Sin autem procul ſunt abinuicem, omninò & locos proprios habent. Omninò alicubi & vnum adorabimus. Sic enim comparare oportet, vt ex eorum ſtultitia, quòd vnum adorare neceſſe eſt, inferamus. Quæramus autem ex illis, quid dicunt de bono Deo: potens eſt, an impotẽs? Si quidem potens, & quomodo ipſo inuito factus eſt malus? quomodo ingreſſa eſt mala ſubſtantia ipſo nolente? Si enim ſciens prohibere non potuit, arguunt illum impotentiæ: ſi autem cùm poſſet, non prohibuit, proditionis eum accuſant. Conſidera autem iſtorum ſtupiditatem: aliquando enim dicunt, malum nihil habere commune cum bono in mundi adminiſtratione & opificio: Aliquando verò dicunt, illum quartam tantùm partem habere. Et bonum ſanè aiunt patrem eſſe Chriſti, Chriſtum autem, ſolem hunc vocant. Si itaque mundus, vt ipſi docent, à malo factus eſt, & ſol eſt in mundo: quomodo filius boni in regno mali

Hæreſes vt vitari poſſint noſcendæ.

inuitus ſeruit? Polluimur iſta dicentes: ne autem aliquis eorum, qui adſunt, ex ignorantia in ſordes eiuſmodi hæreticorum incidat, etiamſi & os meum, & auditorum aures polluam, tamen id confert: Multò enim melius eſt, accuſandis & reprehendendis alijs audire abſurda, quàm ex inſcitia in eadem incidere. Longè melius eſt, vt ſordes cognoſcas, & oderis, quàm ignorans, in eaſdem incidas.

Eſt au-

Est autẽ varia & multiplex hæreticorum doctrina: cùm enim à via rectitudinis exciderint, tunc in multa præcipitia incidunt. Et omnis hæreseos author & inuentor est Simon Magus, Simon qui, vt est in actis Apostolorum, inęstimabilem spiritus gratiam argento se comparare posse existimans, audiuit: Non sit tibi pars, neque hæreditas in sermone hoc, & quæ sequuntur. De quo scriptum est: Quod ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: si enim essent ex nobis, permansissent nobiscum. Hic autem cùm esset Romæ, posteaquàm ab apostolis reiectus est, & Græcam Selinen quandam meretricem circumducens, ore nefando primus ausus est dicere, seipsum esse Deum, qui in monte Sina tanquàm pater apparuit: ac deinde apud Iudæos non in carne, sed in imagine tanquàm Christus Iesus visus est, atque posteà tanquàm spiritum sanctum à Christo mittẽdum, se esse promissum. Et ita seduxerat ciuitatem Romanã, vt Claudius illi statuã erexerit, cũ ea inscriptione, in lingua Romana: Simoni Deo sancto. Dilatato autem errore, par amicorum bonorum, illam calamitatem correxit, Petrus & Paulus cùm essent præsides Ecclesię, & ostentantem sese istum Simonem, statim extinxit. Cùm enim prædicaret Simon in cœlos sese ascensurum, & vehiculo dæmonum in aërem esset sublatus: flexis genibus serui Dei, & concordiam ostendentes, de qua dixit Iesus: Quòd si duo ex vobis concordauerint, de quacunque re, quam petierint, fiet ipsis: Concordiæ hoc telum per orationem emittentes in Magum, deiecerũt illum in terram. Nec mirum est: Petrus enim erat, qui claues regni cœlorum portabat. Non est mirandũ: Paulus enim erat, qui in tertium cœlum raptus fuerat, & in paradisum, & audiuerat arcana verba, quæ nõ licet homini loqui. Ex aëre in terram depresserunt eum, qui se appellabat Deum, deinceps ad inferos detrudendum. Hic primus istius improbitatis Draco. Vno autem precioso capite multorum rursus capitum reperitur lerna malorũ. Cherintus enim vastauit Ecclesiam, & Menãder, & Carpocrates, Ebion, & Marcion, os impurũ. Qui enim diuersos esse Deos prædicat: alterũ bonũ, & alterũ iustũ, cõtradicit Christo dicẽti: Pater iuste. Et rursus, qui alium patrẽ, & alium factorẽ mundi dicit, aduersatur filio dicẽti: Aspice fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittetur: quod Deus sic vestit. Et qui solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Sic rursus secũdus Marcion alterius improbitatis author fuit: ab his enim, quæ posita sunt de veteri lege, in nouo testamento, testimonijs redargutus. Primus ausus est excindere testimonia, &

Simon Magus author hæreseon.

Simon Magus trinum se Deum vocat.

Simoni Mago Claudius statuam erexit.

Petrus & Paulus Simonem oratione prostrauerũt

Petrus Claui ger cœli.

Cherintus.

Marcion.

sine testimonijs relinquere eum, qui annũtiabatur, fidei sermonem. Relinquens Deum, & tanquàm præconibus non existentibus, imbecillam volebat efficere Ecclesiæ fidem. Excepit id alius studiosè Basilides execrandus, longè acerbissimè eum improbitatis modum annuncians. Accedebat illi nequitiæ Valentinus, triginta deorum prædicator. Græci paucos dicunt, & iste nomine potiùs, quàm re Christianus, in solos triginta extendit errorẽ. Et dicebat, quòd profunditas (Decet enim ipsum, qui erat profunditas malitiæ, à profunditate suam auspicari doctrinam) genuit silentium, & ex silentio procreat sermonem: Ioue Græcorũ hic deterior, qui cum sorore rem habebat, filia enim profunditatis dicebatur esse silẽtium. Cernis à qua specie Christianismi deciderit? Sed expectas paululùm, & plus oderis impietatem. Dicit enim octo secula in eo facta esse, & ex his decem, & rursus ex istis alia decem, Duos masculos & fœminas. Vnde autẽ istorum constitutio? Aspice nugas & deliria commẽtorum. Vnde habes probationẽ horũ triginta seculorũ? Cùm, inquit, scriptũ sit, quòd Iesus baptizatus sit tanquã annorũ triginta. Et qualis est hęc demõstratio, ex annis triginta, quòd baptizatus sit? Nũquid igitur, quia quinq; panes diuisit in quinq; millia, quinq; sunt dij? Quia duodecim habuit discipulos, duodecim debent esse dij? Atq; hoc quidem parum est, ad reliquam eius impietatem. Dicit enim: Vltima Deorum vtrumque sexum habens (vt audet dicere) ipsa est sapientia. O impietatem. Christus Dei virtus, & Dei sapientia, vnigenitus filius, illé ne etiam est mulier? illé ne ex triginta elementaribus dijs? & vltimum commentum infert, comprehenditque ratione Dei sapientiam, & inquit, quòd conata est sapientia primùm Deum videre, & non ferens splendores, excidit è cœlis, & deleta est ex trigesimo numero. Et ingemiscens genuit Diabolũ. Et quòd deplorans casum suum, mare constituit. Vides impietatem? Quomodo enim ex lachryma diabolus generaretur, & ex intellectu malitia, & ex lumine tenebræ. Dicit prẽterea, quòd diabolus genuisset alios, ex quibus nonnulli composuerunt mundũ. Et quòd Christus venisset, vt auerteret homines à creatore mundi. Audi verò quem dicunt esse Christum, vt tantò magis oderis illos. Docent enim, quòd cùm sapientia decidisset, ne numerus illorum triginta deficeret, viginti octo eones, vnusquisque minimum quid adferens composuerunt Christum. Hunc quoque rursus vtrumque sexum habere dicũt. Nunquid his quicquam est magis impium? ést ne his quicquam abiectius? Ego differõ tibi & enarro hunc errorem, vt authores eius tantò

Basilides.

Valentinus, 30. deorum præco.

Valentini nugæ.

Valentini blasphemiæ.

magis

magis oderis. Fuge itaque eiusmodi impietatem, neq; aue dixeris tali, ne communices operibus infructuosis tenebrarum: néue sis curiosus, nec in sermones illorum deuenire velis.

Ac omnes quidem oderis hęreticos: maximè autem illum, qui à mania seu insania nomẽ habet: Manichæum dico, qui primùm tempore Probi cœpit. Nam ante annos septuaginta hic error viguit, & non desunt, qui autorem illius suis oculis conspexerant. Non ideo tamẽ, quòd paulò antè fuerit, illum oderis, sed vt malitiæ fabricatorem, & totius fœditatis receptaculum, & omnes hęreseos sordes suscipientem. Ambiens enim in malis excellere, omnia congerens pessima, vnam hæresim blasphemijs, & sceleribus refertam conflauit. Vastat Ecclesiam, vel potiùs eos, qui erant in Ecclesia, tanquàm leo obambulans. Tu igitur non attendas illius suauiloquentię, neque simulatæ humilitati: Serpens enim est, & germen viperarum. Et Iudas dixerat, salue Rabbi, & tamen prodidit magistrum. Non aduertas oculis, sed obserua venenum. Ac ne falsa videamur opinari de illo, obiter considerabimus, quis fuerit iste Manes: quin etiam aliqua ex parte quid docuerit attingemus: nam vniuersas illius sordes nec toto seculo satis explicauerimus. Memineris autem hæc apud teipsum, & teneas memoria in auxilium opportunũ, quæ anteà dicta sunt, & nunc quoque dicentur, vt & ignorantes discant, & scientes recordentur. Non est ex Christianis Manes. Absit. Neque sicut Simon eiectus ex Ecclesia, nec ipse, nec illi priores eius erroris Magistri. Ille enim fur est alienorum malorum, vendicans sibi mala. Quomodo autem, & qua ratione, audite.

Hæretici odio habendi

Manes ex gẽtibus.

Scythianus quidã erat in Aegypto, genere Saracenus, nihil cũ Christianismo habẽs cõmune. Hic Alexãdrię habitans, & Aristotelicã vitã imitatus, quatuor libros cõposuit: Vnũ, quod appellauit Euãgeliũ, non quòd actiones eius cõtineret, sed solam appellationem: Alterum vocauit Capitũ: Tertium Mysteriorũ: Quartum verò, quem nunc circumferunt, Thesaurorum. Discipulus autẽ illius erat Therebintus. Cùm verò Scythianus ex proposito veniſſet in Iudęam, vt pestilenti contagione afficeret illam regionem, morbo extincto illo, dominus sedauit pestilentiam. Sed Therebintus improbitatis illius discipulus: & auri, & librorum, & hæreseos factus hæres, cùm adesset in Palęstina, & in Iudęa notus esset, & exclusus, statuit in Persidem transire. Deinde, ne ex nomine etiam illic cognosceretur, Buddam seipsum vocauit. Verùm habuit illic aduersarios sacerdotes Solis. Et multis sermonibus, concertationibusque commotis, redarguebatũr: ad extremum

Scythianus primus autor Manichæorum erroris.

Terebintus.

Buddas ex Terebinto.

mum cùm esset comprehendẽdus, profugit ad quandam viduã. Deinde super domum ascendens, & aduocans aëreos dæmones, quos Manichæi in abominandis suis sacris ad hunc vsque diem inuocare solent, diuinitùs percussus, & de domo prostratus, extinctus est. Atque sic excisa est altera bestia, sed relicta sunt monumẽta impietatis illius libri, quorum illa vidua hæres erat, simulque pecuniarum. Quæ cùm neque cognatum, neque amicum haberet vllum, constituit pro illis pecunijs seruum emere aliquẽ, Curbicum nomine, quem posteà adoptauit, & Persicis disciplinis erudiendum curauit. Exacuit autem secundum humanitatis malum telum, Curbicus ille malus seruus, in semiphilosophum euasit, & mortua vidua, & pecuniæ & libri hæreditate illi cesserũt. Deinde, ne seruitutis nomen Curbici illi contumelioſum esset, pro Curbico, Manem seipsum appellauit: Quod lingua Persarum homeliã significat. Cùm enim dialecticus quibusdam esse videretur, Manem seipsum nominauit: tanquàm optimum aliquem disputatorem. At ille quidem bonam existimationem sibi in lingua Persica hoc nomine parabat: sed diuina administratione factum est, vt nolens ex eo seipsum argueret, vt in Perside existimans seipsum honorare, apud Græcos insaniæ nomine sese appellaret. Audebat autem dicere seipsum esse paracletum. Est verò scriptum, qui blasphemauerit spiritum sanctum, non remittetur ei. Hic autem cùm se spiritum sanctum esse diceret, blasphemabat illum. Qui ergo cum illis communicat, videat cum quibus versatur. Commouit seruus vniuersam terram: quandoquidem propter tria contremiscit terra, & quartum non potest ferre: si seruus regnet. Prodiens porrò in mediũ supra vires humanas sese iactabat: cùm enim ægrotasset Regis Persarum filius, & medicorum turba illi adesset, Manes promittebat per orationem, tanquàm pius, sese illum curaturum. Recesserunt medici, recessit & vita à filio Regis, virique illius impietas redarguta est: & vinctus erat in custodia philosophus. Non quòd regem veritate offendisset, prostratus, neque quòd idola dissolueret, sed quòd seruare promiserit, & mentitus esset. Imò, vt veriùs dicam, propter homicidium. Qui enim per medicorum curam potuisset sanari: iste medicos remouens, illum occidit, enecans negligentiâ. Cùm ergo plurima mihi de illo dicenda sint mala, memineris priùs illius blasphemiæ, deinde seruitutis: non quòd turpis sit seruitus, sed quòd cùm seruus esset, libertatem effinxerit malam. Tertium falsitatẽ promissionis. Quartum filij regis cædem. Quintũ turpitudinẽ carceris: tum verò ex carcere fugam.

Curbicus seruus Manem se appellat.

Manes paracletum se vocabat.

Manes impostor & homicida.

fugam. Qui enim dicebat se esse paracletum, & veritatis propugnatorem, fugit: non erat successor, vel imitator Christi, qui alacriter veniebat in crucem, sed fugiendo contrarius illi fuerat. Deinde rex Persarum necari iussit custodes carceris. Causa mortis regij pueri Manes, per suam superbiam fuerat: causa quoque mortis custodum erat, per fugam. Qui ergo mortis est causa, istè ne adorari debet? Nónne oportuit Iesum imitari, qui dicebat, si me quæritis, sinite hos abire? nónne oportebat cum Iona dicere: Tollite me, & proijcite in mare, propter me enim tempestas ista. Fugit Manes de carcere, & venit in Mesopotamiam. Sed occurrit illi scutũ iustitiæ Archelaus Episcopus, Græcum auditoriũ constituẽs, etiã philosophis iudicibus eum redarguit: ne si Christiani iudicarent, ad gratiam aliquid iudicasse viderentur. Dixit ergo Archelaus ad Manem: Quod prædicas narra. Ille verò os habens tanquàm sepulchrum apertum à blasphemia, à Creatore primũ incipit, dicens: Quòd veteris testamenti Deus, malorum sit inuentor, dicens de seipso: Ego ignis consumens. Sapiens autem Archelaus dissoluit blasphemiam, dicens: Si veteris testamenti Deus ignem seipsum dicit, cuius erit filius ille, qui dicit: Ignem volo mittere in terram? Si oderis eum, qui dicit: Dominus mortificat, & viuificat, quare honoras Petrum, qui Tabitham quidem suscitauit, Saphitam autem mortificauit? Si oderis eum, eò quòd etiam mortem parauerit, quare non oderis eum, qui dicit: Ite in ignem æternum? Si odisti dicentem: Ego deus, faciens pacem, & creans mala: Perquire quid dicat Iesus: Non veni mittere pacem super terram, sed gladium. Amborum sunt æqualia dicta: ergo è duobus alterum sit necesse est: Aut vterque bonus, per eandem locutionem, aut si irreprehensibilis Iesus hæc dicẽs: quare vituperas eum, qui in lege veteri similia dicebat? Posteà Manes, Et qualis Deus qui obcæcat? Paulus enim dicit: In quibus Deus seculi huius obcæcauit mentes infidelium, vt non splendeat illis nomen Euangelij. Archelaus verò optimè refellens, Lege, inquit, quod præcedit paululùm. Si verò est obscurum Euangelium nostrum, in perditis est obscurum. Vides quòd in perditis obscuratur. Non sunt enim sancta danda canibus. Nunquid autem solus veteris tastamenti Deus obcæcauit cogitationes infidelium? Iesus autem ipse nónne dixit: Propterea in parabolis loquor, vt videntes non videant. Non quòd odisset illos, volebat ne viderent: sed propter indignitatem, quòd oculos suos ipsi obstruxissent. Vbi enim spontanea prauitas, ibi & impedimentum gratiæ. Habenti enim dabitur, & qui non habet, & hoc

Archelaus Episcopus primùm redarguit Manem.

Euangelium perditis obscurum.

quod videtur habere, auferetur ab eo. Quin etiam, vt quidam interpretantur, & hoc dicere non fuerit ineptum. Quòd dicitur Deus excæcasse infidelium cogitationes, in malo excæcauit, vt sancta respicerẽt. Non enim dixit, obcæcauit ipsorum animam, sed cogitationes infidelium. Hoc autem est perinde, ac si diceret: Obcæca scortatoris libidinosas cogitationes, & seruabitur homo. Excæca furis rapacitatem, & saluabitur homo. Sed si non vis de hoc ita sentire, est & alia interpretatio. Obcæcat & Sol lippos, & ex oculis laborantes, malè affectos propter luminis vim. Non quòd Sol habeat vim excæcandi: sed quòd corrupta videntium natura videre per se non possit. Sic & infideles, ægrotãtes in corde, non possunt videre diuinitatis radios. Et non dixit: Excæcauit cogitationes, vt non audirent Euangelium: sed vt non intuerentur splendorem Euangelij domini nostri Iesu Christi. Audire enim Euangelium omnibus licet: gloria autem Euangelij, solis Christi germanis definitur & aperitur. Loquebatur Christus his, qui audire non poterant, in parabolis: discipulis autem seorsim dissoluebat parabolas. Splendor gloriæ illuminatis, excæcatio autem infidelibus. Hæc mysteria, quæ nunc Ecclesia enarrat tibi catechumeno, non est mos ethnicis enarrare. Nec enim Ethnico mysteria de patre & filio & spiritu sancto declaramus: quin & catechumenis non adeò apertè dicimus mysteria: sed sæpè obscuriùs dicimus, vt scientes fideles intelligant, & qui nesciunt non corrumpant. His & alijs eiusmodi pluribus prosternebatur draco: talibusque concertationibus Archelaus superauit Manem: ita vt rursus inde fugeret, perinde atque anteà ex carceribus. Vitans autem aduersarium, venit in vicum quendam vilissimum: quemadmodum serpens in paradiso relicto Adam, ad Euam accessit. Sed Archelaus pastor bonus, ouibus prospiciens, fuga illius audita, citò accurrit, & lupum perquisiuit. Manes verò videns apertè aduersarium, excessit & fugit. Dedit autem hãc postremam fugam. Regis enim Persarum satellites, vbique perquirentes, fugitiuum illum comprehenderunt. Et quam ab Archelao habere debebat sententiam, hanc regij ministri in illum tulerunt. Comprehenditur Manes, quem adorant ipsius discipuli, & adducitur ad regem. Cui rex exprobrauit mendacium & fugam, irrisit seruitutem eius, accusauit filij cædem, damnauit propter eum factam custodum necem. Itaque excoriare Manem lege Persica mandauit, & corpus quidem reliquum bestijs deuorandum tradidit, cutem verò, qua tanta illius improbitas continebatur, tãquam vtrem, ante portas suspendi curauit. Qui seipsum para-

Excæcare quomodo Deus dicatur.

Mysteria Ethnicis non indicanda.

Manes captus.

Manes excoriatus in perside.

paracletum esse dicebat,& futura se scire ostentabat,fugam suam & comprehensionem nesciebat?

Huius Manetis discipuli tres fuerunt: Thomas, Buddas, & Hermas. Nemo legat secundum Thomam Euangelium: non enim est vnius ex duodecim Apostolis, sed vnius ex his tribus Manetis discipulis. *Thomæ Euangeliũ est Manetis discipuli.*

Nemo corrumpatur ab animarum corruptoribus Manichæis, qui tristibus aquis, mœsticiã ieiunij sibi inducunt: qui factorem quidem ciborum calumniantur, cibos tamen optimos quosque vorant: qui docent, quòd qui herbam euellit, in illam mutabitur. Agricolæ & holitorum pueri, in quot transformabuntur herbas & gramina? Tot annis holitor falce secabat herbas, vt sæpè videmus: in quam ergo ex illis mutabitur? Ridicula verè dogmata, & turpitudine vituperationeq; plena. Idem quandoque homo, cùm esset pastor ouium, & ouem sacrificauit, & lupum occidit: in vtrum igitur mutabitur? Multi homines pisces capiebant, & aues aucupabantur: in quid igitur mutabuntur antiquitatis nepotes Manichæi: qui non operantes, ea quæ sunt operantium deuorant? Qui eos qui adferunt illis cibos, hilari facie recipientes, pro benedictionibus maledictis insectantur. Cùm enim ignorans aliquis illis panem adfert: paululùm inquit, extra subsiste, & benedicam tibi. Deinde in manus recipiens panem (quemadmodum illi qui ex illis pœnitentiam egerunt, confessi sunt) Ego te (dicit Manichæus pani) non feci, & execrans, proijcit in altum, & maledicit ei, qui fecit illum, atque sic factum comedit. Si oderis cibos, cur hilari facie intueris illos adferentem? Si danti habes gratiam, cur factorẽ & opificem omniũ blasphemas? Et rursus. Ego te, inquit, non seminaui, seminetur seminans te. Ego te nõ messui falcibus, metatur metẽs te: Ego te igne non coxi, coquatur qui coxit te. Pulchra sanè gratiarum actio. Magna quidem hæc mala: sed parua respectu aliorũ. Lauacrum illorum coram viris & mulieribus enarrare non audeo. Vereor dicere, in quo ficum intingentes, dant miseris, quod per Sisycum traditum, manifestatum est. Viri enim in somnijs hæc imaginarentùr, & mulieres in puerperijs. Polluemus certè os nostrum hæc dicentes: neque enim Græci his impuriores, neque Samaritæ magis athei, neque Iudæi magis impij, neque scortatores istis sunt impuriores. Scortator enim ad vnam horam per concupiscentiam finit operationem. Condemnãs autem se sceleris, tanquàm pollutum, scit se lauacro egere, & agnoscit fœditatem facinoris. Manichæus autem in medio altaris ponit ista, atque simul os & linguam polluit. Ab eiusmodi ore ô homo capies doctri-

Manichæi panem comestũri, execrantur.

ctrinam? Hoc ſemper obuium oſculo ſalutabis? Nunquid præter aliam impietatem, hanc ſolam non fugies fœditatem? ſceleſtisque potiores, omniq; proſtituta deteſtabiliores. Annuntiat hæc Eccleſia & docet, attingitque ſordes iſtas, vt tu non polluaris: dicit vulnera, vt tu non vulnereris. Sufficit autem hæc ſolùm ſcire tibi: ſed experientia illa diſcere caue. Tonat Deus, & nos omnes tremimus, illi autem blaſphemant: fulgurat Deus, & omnes ad terram inclinamur, illi verò nefandas in cœlum mouent linguas. Ieſus dicit de patre: qui ſolem ſuum facit oriri ſuper iuſtos & iniuſtos: & pluit ſuper bonos & malos. At illi dicunt, quòd pluuiæ ex quadam amatoria inſania fiunt. Et audent dicere, quòd ſit quædam Virgo in cœlo pulchra, cum iuuene pulchro: & more Camelorum aut luporum, illos quoq; turpis concupiſcentiæ tempus habere, & cùm fiũt tẽpeſtates, furendo illum inſtare virgini, ac illam quidẽ fugere, hunc autẽ inſequi. Atq; tum currendo ſudare, & ex illius ſudore pluuiam eſſe.

Manichæi tonantem blaſphemant.

Hæreticorũ libros legit Cyrillus.

Hæc ſcripta ſunt in Manichæorum libris, hæc nos legimus nõ credentes dicẽtibus, propter veſtram enim ſecuritatem, etiã perditionẽ curioſè ſcrutabamur, ſed dominus liberabit nos ab eiuſmodi errore. Vobis autẽ det tale odiũ cõtra draconẽ, vt quemadmodũ ille inſidiatur calcaneo, ſic vos caput illius cõculcetis. Memineritis quę dicta ſunt vobis: Quæ cõſonantia veſtrorũ ad illa? Quid luci cũ tenebris? Quæ Eccleſiæ grauitas ad Manichęorũ fœditatẽ. Hîc ordo, hîc ſciẽtia, hîc grauitas, hîc puritas, hîc & aſpectꝰ mulieris ad concupiſcẽdũ damnatur, hîc continẽtię patiẽtia, hîc virginitatis ęqualis angelis dignitas, hîc ciborũ ſumptio cũ gratiarum actiõe, hîc gratitudo erga vniuerſi opificẽ, hîc pater Chriſti adoratur, hîc timor & tremor pluentis docetur, hîc tonantem & fulgurantẽ glorificamꝰ. Paſcaris ſimul cũ ouibus, & fuge lupos, ab Eccleſiaq; nõ ſepareris. Oderis & illos, qui aliquãdo in talium ſuſpitionẽ inciderunt. Et niſi priùs tẽpore experiaris illorũ pœnitentiã, non priùs teipſũ illis credas. Tradita eſt tibi Monarchiæ Dei veritas, agnoſce germina doctrinarũ, ſis probatus & expertus nummularius, bonũ recipiens, ab omniq; ſpecie mali abſtinens. Quòd ſi & ipſe talis aliquãdo fuiſti, agnito errore, oderis illũ. Nõ deeſt, qui conferat ſalutẽ, ſi euomueris venenũ, ſi ex corde oderis, ſi defeceris ab illis, nõ labijs tãtùm, verùm & mẽte. Si adoraueris patrẽ Chriſti, Deum legis & Prophetarũ, ſi cognoueris bonũ & iuſtum, vnũ & eundẽ eſſe, & verè Deum: Qui omnes vos conſeruet, cuſtodiens à lapſu, & ſcandalo, firmatos in fide, in Chriſto Ieſu domino noſtro, cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Virginitatis dignitas angelica.

CATE-

CATECHESIS SEPTIMA ILLVMINATORVM,

seu baptizatorum Hierosolymis extemporanea, De patre. Et lectio ex Epistola ad Ephesios. Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem: ex quo paternitas omnis in cœlis, & in terra nominatur, & reliqua.

AC de Monarchia quidem Dei, sufficienter vobis hesterna die dictum est: sufficienter autem dico, non pro dignitate, hoc enim præstare mortalis natura omninò nõ potest: sed quantum est concessum infirmitati nostræ. Tum & atheorum hæreticorũ multifidos errores, & diuerticula persecuti sumus: quorũ sordes, & animarum venenum excutiebamus, illorumque nugas commemorabamus: non vt ijs inficeremur, sed vt multò magis aduersus illos deinceps insurgamus, & quæ sunt salutifera veræ fidei amplectamur. Nũc verò dignitati monarchiæ Patrium nomen subnectentes, credamus in vnum Deũ patrem. Non enim solùm in vnum Deum oportet credere: verùm etiam patrem eundem esse vnigeniti filij, domini nostri Iesu Christi. Hanc doctrinam piè recipiamus: hac enim ecclesiora Iudęis sapimus, qui vnum quidem Deum esse dogmatibus suis cõprehendunt, tametsi & istud per idolatriam sæpius negauerint. Patrem autẽ esse illum domini nostri Iesu Christi, hoc non recipiunt, suis ipsorum Prophetis contraria sentientes, qui loquuntur in sacris scripturis: Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Illi verò fremũt hactenus, & conueniunt aduersus Dominum, & aduersus Christum eius, existimantes patri se posse gratificari, sine cultu filij: ignorantes, quòd nemo venit ad patrem, nisi per filium, qui dicit: Ego sum ostium, Et ego sum via. Qui ergo viam, quę ducit ad patrem deuitat, & qui ostiũ negat, quomodo ad patrem accessus illi patebit? Contradicunt autem & ijs, quæ in spiritu in psalmo scripta sunt: Ipse inuocabit me, pater meus es tu, Deus meus & susceptor salutis meæ: & ego primogenitum statuam illum, excelsum super omnes reges terræ. Si enim hæc in Dauidem vel Solomonem, vel quempiam alium, qui deinceps dicti sunt, torserint: doceãt, quomodo sedes eius, qui hæc prophetauit apud illos, sit tanquàm dies cœli, & sicut luna firmata in sæculum. Cur non verentur id quod scriptũ est: Ex vtero ante luciferum genui te. Et quod esset tandiu vt sol duraturus, & ante lunam generationes generationum. Quę quidem ad hominem referre, longè ineptissimum, & impietate plenum esset. Sed Iudæi quidem more incredulitatis suæ, in his & alijs eiusmodi dictis, quoniam ita volunt, malè sint affecti.

Deus pater domini nostri Iesu Christi.

Iudæorum errores conuincuntur.

Deus pater vim gignendi omnibus dat.

Nos verò, cùm iam pietatem fidei receperimus, vnum Deum patrem domini adoremus. Nam qui omnibus vim gignēdi impartitur, eũ hac facultate priuare, impium sanè fuerit. Et credamus in vnum Deum patrem, vt antequàm de Christo doctrinam tradamus, fides vnigeniti firmetur in animis auditorum, & ab his qui in medium prolati sunt de patre sermonibus, nihil omninò separetur. Patris enim nomen, simul cum ipsius nominis appellatione, exhibet intelligendum & filium. Quemadmodum similiter filium quis nominans, statim & patrem intelligit. Si enim pater, omninò filij est pater: & si filius, omninò patris est filius. Vt igitur ex ista locutione, In vnum Deum patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibiliumque omnium, & inuisibilium: Et in vnum Iesum Christum, non arbitretur quis minus sanctè, cœlo & terra posteriorem esse ordine vnigenitum: propterea ante illorum nominationem patrem Deum nominauimus, vt simul atque cognouerimus patrem, noscamus & filium: nam inter patrem & filium, nihil est medium, quod existat.

Pater sine filio esse nō potest.

Est itaq; Deus multorum quidem abusiuè dictus pater, vnius verò & solius naturâ & veritate vnigeniti filij, domini verò nostri Iesu Christi pater: Non in tempore pater esse incipiens: sed semper vnigeniti pater existens. Non enim sine prole anteà, deinceps sententiam mutauit: sed ante omnem substantiam, & ante omnem sensum, ante tempora, & ante omnia secula, patriam dignitatē habet pater. Hac magis, quàm alijs dignitatibus venerandus, & non affectione pater factus, non ex coniunctione, non per ignorantiam, non deficiens, non diminutus, non alteratus. Omne enim donũ perfectũ, desursum est, descendens à patre luminũ, apud quem nõ est mutationis vel cõuersionis adũbratio. Pater perfectus, perfectum genuit filium: omnia tradidit genito: Omnia, inquit, tradita mihi sunt à patre meo. Et honoratur pater ab vnigenito: Ego enim, inquit filius, honoro patrem meũ. Et rursus: Sicut ego mandata patris mei custodiui, & obedio illi in dilectione. Dicimus igitur & nos simul cum Apostolo: Benedictus Deus & pater domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. Et flectimus genua ad patrem, à quo omnis paternitas, in cœlo, & in terra nominatur, glorificantes ipsum per vnigenitum. Qui enim negat patrem, & filium negat. Et rursus: Qui confitetur filium, & patrem habet. Cognoscētes quòd dominus Iesus Christ⁹ est in gloria dei patris.

Pater ab æterno filium genuit.

Paternitas omnis à Deo patre.

Adoremus igitur patrem Christi, factorem cœli & terræ, Deũ Abraham, & Isaac, & Iacob, in cuius honorem prius ex oppositio

nobis

nobis hîc templum ædificatum est. Non enim patiemur hæreticos, qui vetus testamentum à nouo scindunt: sed Christo fidem habemus, dicẽti de templo: Nescitis quòd in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse. Et rursus: Auferte ista hinc, & non faciatis domum patris mei domum negotiationis. Quibus manifestissimè, priusillud, quod erat Hierosolymis templum, domum patris sui esse confitetur. Quod si quis ob incredulitatem plures adhuc habere voluerit demonstrationes, de eo quòd pater Christi sit mundi effector, audiat rursus ipsum dicentem: Nónne duo passeres asse veneunt: & vnus ex his non cadet super terram sine voluntate patris mei, qui in cœlis est. Et: Respicite volatilia cœli, quia non seminant, neque metunt, neque congregãt in horrea, & pater meus cœlestis pascit illa. Et illud: Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. Sed ne quis ex simplicitate, aut versuta improbitate, hominibus iustis, æqualem esse Christum opinetur, ex eo quod dicat: Ascendo ad patrem meum, & ad patrem vestrum: Bonum fuerit illi nominatim excipere, quòd patris quidem vnum est nomen, multiplex autem virtus operationis. Et hoc ille cognoscens, dicebat confidenter: Vado ad patrem meum, & ad patrem vestrum. Non dixit ad patrem nostrum, sed diuidens, primùm dicit, quod erat proprium, ad patrem meum, qui eius pater est naturâ: deinde subdit, patrem vestrum, qui est per adoptionem. Quamuis enim in orationibus præsertim, dicere permissi sumus, Pater noster qui est in cœlis, sed hoc donum est ex benignitate: neque enim eò quòd naturâ ex eo, qui est in cœlis progeniti essemus, patrem ipsum vocamus: sed quòd ex seruitute, paterna gratia, in adoptionem filiorum, per Iesum in sancto spiritu, translati sumus, ineffabili humanitate hoc dicere, digni habiti sumus.

Dei patris tẽplum erat Hierosoly.

Vado ad patrem vestrũ, explicatur.

Filii Dei adoptiui sumus.

Quòd si quis discere voluerit, quomodo nos Deum vocemus patrem, audiat optimum pædagogum Moysem, dicẽtem: Nónne hic ipse pater creauit te, & fecit te. Et Esaiam prophetam: Et nunc domine pater noster tu es, nos autem lutum, opus manuum tuarum omnes. Manifestissimè sanè indicauit prophetica gratia, quòd non naturâ, sed gratiâ & adoptione patrem eum vocamus. Et vt exactiùs cognoscas, quòd non vbiq; in sacris scripturis, pater naturalis solùm pater appellatur, audi Paulum dicentem: Si enim multos pædagogos habeatis in Christo, sed non multos patres: in Christo enim Iesu per Euangelium vos genui. Non sanè generatione carnis, sed doctrina, & regeneratione spiritus, Paulus erat Corinthiorũ pater. Audi quoq; & Iob dicentẽ:

Patres aliqui ex doctrina dicti.

Ego vobis pater, quod est impossibile: patrem enim seipsum, nõ quòd genuisset omnes, sed quòd curam eorũ gessisset, vocauit. Ipse autem vnigenitus filius Dei, passionis suæ tempore ligno affixus, videns Mariam, secundum carnem matrem suam, & Ioannem dilectissimum discipulum, ad illum quidem dicit: Ecce mater tua: ad Mariam autem, Ecce filius tuus, studium debitum erga parentes docens. Et quod apud Lucam dictum est, acutè dissoluens: Et erat pater eius & mater admirãtes: quod torquẽt hæretici, quasi ex viro & muliere natus sit: Cùm tamen, sicut Maria mater Ioannis propter dilectionem, & nõ propter generationẽ: ita Ioseph pater Iesu, propter curam, vel dilectionẽ vocatus est, & non propter generationem: non enim cognouerat ipsam, inquit, Euangelium, donec peperit filium suum primogenitum: sed propter curam, quam in alendo præstabat. Hoc itaque nunc obiter tanquàm commonendo, dictum sit. Addamus autem & aliud testimonium, quo demonstratur, non propriè Deum ab hominibus patrem appellari. Cùm Esaias dicit ad Deum, Nónne tu es pater noster, quia Abraham non nouit nos, & Sarra non parturiuit nos: nunquid amplius quærendum est? Quin & Psaltes inquit: Turbatus sum à facie tua, patris orphanorum, & iudicis viduarum. Nunquid non omnibus manifestum est, quòd qui recèns patres suos amisérũt, orphanorum pater Deus vocetur? non quòd ex eo sint progeniti, sed quod illorum curam gerit, & illos protegit. Hominum itaque non propriè est pater, Christi verò solùm naturâ pater est Deus, non per adoptionem: & hominum quidem in tempore, Christi verò ante tempora: quemadmodum ipse dicit: Et nunc tu me glorifica super gloriã, quam habui apud te ante mundi huius constitutionem.

Pater Christi Ioseph per curam.

Credamus igitur in vnum Deum patrem imperscrutabilem, & inenarrabilem: quem nemo quidem hominum vidit, vnigenitus verò solus enarrauit. Qui enim est ex Deo, ipse vidit Deũ. Cuius faciem angeli perpetuò vident in cœlis. Vident autem, vnusquisque secundum ordinis proprij mensuram: splendorem autem purum paternæ visionis, propriè tantùm filio cum spiritu sancto intueri licet. Hîc interea dum fit sermo, etiam breuiter dictorum recordans, in quibus Deus, hominum pater prędicatur, vehementer ad hominum ingratitudinem obstupesco. Siquidem Deus ineffabili clementiâ, pater hominum vocari dignatus est: ille qui est in cœlis, eorum qui super terram sunt: qui secula fecit, eorum qui in temporibus: qui terram pugillo continet, eorum qui sunt super terram tanquàm locustæ.

Angeli pro mensura ordinis, Deum vident.

Homo

Homo tamen ſupercœleſtem patrem relinquens, dixit ligno, Pater meus es tu: & lapidi, tu me genuiſti. Et vt mihi videtur, propterea ad humanitatem dicit pſaltes: Et obliuiſcere populi tui, domus patris tui, quem elegiſti patrē, quē traxiſti ad perditionē. Non ſolùm autem ligna & lapides: verùmetiam nonnulli Satanam animicidam, ſuum eligebant patrem. Quos dominus reprehendens, inquit: Vos opera patris veſtri facitis. Cùm pater ille ſit hominum non naturâ, ſed deceptione. Nam quemadmodum per religioſam doctrinam Paulus Corinthiorum vocabatur pater, ſic & Diabolus eorum, qui ſponte cum illo conueniūt, pater vocatur. Neque enim recipimus eos, qui dictum illud malè intelligunt: Ex eo recognoſcimus filios Dei, & filios Diaboli: tanquàm ſint aliqui inter homines, qui naturâ aut ſeruentur, aut perdantur. Non enim ex neceſsitate, ſed voluntate in eiuſmodi ſanctam adoptionem deuenimus. Neque proditor Iudas naturâ erat filius Diaboli, & perditionis: Si enim fuiſſet, nequaquam ab initio in nomine Chriſti dæmonas eieciſſet: Satanas enim Satanam non eijcit. Neque rurſus Paulus ex perſecutore prędicator Euangelij factus eſſet. Sed quòd voluntaria ſit adoptio, etiam Ioannes dicit: quicunque receperunt eum, dedit illis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius. Non enim ante fidem, ſed ex fide ſponte filij Dei fieri, digni facti ſunt.

Satan pater malorum.

Adoptio diuina non niſi volēti datur.

Hoc itaque cognoſcentes ſpiritaliter conuerſemur, vt adoptione Dei, digni efficiamur: Qui enim ſpiritu Dei ducuntur, iſti ſunt filij Dei. Nihil enim proderit nobis, Chriſtianorum poſſediſſe appellationem, ſi opera illam non ſequantur. Ne fortè & illud nobis dicatur: Si filij Abraham eſſetis, opera Abraham faceretis. Si enim eum patrem vocamus, qui opus cuiuſque ſine perſonæ acceptione iudicat, nō ſine timore, incolatus ſeu peregrinationis noſtræ tempus tranſigeremus: non diligentes mundum, nec ea quæ in mundo ſunt. Qui enim diligit mundum, non eſt dilectio patris in illo.

Itaque dilecti filij, patrem cœleſtem per opera glorificemus, vt videant opera noſtra bona, & glorificēt patrem noſtrum, qui eſt in cœlis: Omnem ſollicitudinem noſtram in illum proijciamus: Scit enim pater noſter, quibus opus habeamus. Honorantes autem patrem ſupercœleſtem, etiam corporis noſtri parentes honoremus: quandoquidem in lege, & Prophetis dominus ipſe decreuit: Honora, inquit, patrem tuum, & matrem tuā, vt benè ſit tibi, & ſis longæuus ſuper terram. Hanc admonitionē

Parentes honorandi.

audiant hi præsertim,qui patres & matres habent, & hîc adsunt. Filij obedite parentibus vestris in omnibus: hoc beneplacitum est Domino. Non enim dixit dominus: Qui amat patrem, aut matrem,non est me dignus: ne quod benè scriptum est, tu malè ex ignorantia interpreteris: verùm id, quod à me additum est: Quando terreni parentes cœlesti patri sentiunt contraria: tunc ea verba sequenda sunt. Quando autem nihil nos illi in pietate impediunt, sed nos iniquitate adducti, beneficiorum in nos collatorum obliti, eos despiciamus: tunc locum habet illud eloquium: Qui maledixerit patri, aut matri, morte moriatur. Christianorum est placida prima pietas, honorare parentes, & labores educationis rependere, atque omni studio, quæcunque ad quietem illorum pertineant,curare. Quamuis enim eiusmodi plurima illis reddiderimus, sed rursus generare eosdem nequaquam poterimus. Vt ipsi per nos quiete fruentes, benedictiones in nos congerant, quales supplantator Iacob prudenter rapuerat,& bonam eiusmodi voluntatem nostram,pater cœlestis suscipiens, dignetur efficere, vt cum iustis,tanquàm sol splendeamus in regno patris nostri. Cui gloria & potentia nunc & semper,& in secula seculorum,Amen.

CATECHESIS OCTAVA ILLVMINATORVM

Hierosolymis,extempore dicta, De Omnipotente,& lectio ex Hieremia. Deus magnus & fortis, dominus magnus voluntate, & potens operibus,omnipotens & magni nominis,&c.

PER fidem,qua credimus in vnum Deum,omnem multorum deorum excindimus errorem: his contra Græcos armis vtentes, & contra omnem vim contrariam hæreticorum.Per illud autem quod additur, In vnum Deum patrem: eos qui sunt ex circumcisione oppugnamus: qui negant vnigenitum filium Dei. Nam,vt dictum est hesterno die,etiam priusquàm declarentur aliqua de Domino nostro Iesu Christo, dicendo quòd est pater,iam manifestum effecimus, quod filij est pater. Vt sicut intelligimus, quòd Deus est, & quòd filium habet,addamus & hoc, quòd est & omnipotens. Quod quidem tam propter Græcos, quàm Iudæos, & hæreticos dicamus. Ex Græcis enim quidam fortunam esse Deum mundi dixerunt. Alij verò potestatem Dei in cœlum tantùm,non autem in terram extendi putarunt. Alij errantes vnà cum illis, & dicto illo abutentes, quod dicit, Et veritas tua vsque ad nubes, ausi sunt Dei prouidentiam, nubibus & cœlo circumscribere, & terram ab illa

De potentia Dei errores.

ab illa alienare, obliti psalmi, qui dicit: Si ascēdero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si enim nihil sit cœlo excelsius, nihil inferno profundius, qui dominatur extremis, attingit & terram mediam. Hæreticorum autem filij, sicut & anteà dictum est, nesciunt omnipotentem Deum. Omnipotens est, qui omnibus dominatur, & habet omnium potestatem. Qui autem dicunt alium esse animæ dominum, alium verò quendam corporis, neutrum horum dicunt perfectum, cùm alterum alteri tribuunt. Nam qui potestatem habet animæ, corporis autem non habet, quomodo omnipotens? Sed redarguit istos dominus dicens: Timete potiùs eum, qui potest & animam & corpus mittere in gehennam. Si enim non haberet vtriusque potestatem, quomodo vtrunque subijcit pœnæ pater Domini nostri Iesu Christi? quomodo verò poterit alienum corpus accipiens proijcere in gehennam, nisi priùs ligauerit fortem, & arma illius diripuerit?

Vera est scriptura, & ea sunt veritatis dogmata, quòd vnus est Deus, qui omnibus cum potestate dominatur: sed multa tolerat voluntate. Nam dominatur & idololatris, sed sustinet eos per multam patientiam. Habet potestatem & super aspernantes eum hęreticos, sed tolerat per longanimitatem. Tenet imperiū & super Diabolum: neque enim tanquàm non potens, aut victus illum sustinet. Principium enim creaturæ Dei factum vritur assiduè, non ab ipso: indignus enim est: sed ab angelis, qui sub ipso facti sunt. Permisit autem illi viuere duabus de causis, vt ille quidem magis confundatur, homines autem coronentur. O sapientissimam prouidentiam, quæ malum etiam propositum in salutis occasionem conuertit. Quemadmodum enim illorum fratrum Iozeph eundem odio prosequentium, malam voluntatem, accepit occasionem propriæ administrationis: & permittens ipsis ex odio vendere fratrē, occasionem accepit efficiēdi, vt regnaret. Quos dilexit, cum his sic permittit diabolum luctari, vt vincentes coronentur: & facta victoria, maior quidem victus à minore confundatur: homines autem magnificè probentur, cùm eum, qui aliquando fuerat Archangelus, vincunt. Nihil itaque est extra Dei potestatem: de ipso enim dicit scriptura: Quòd omnia seruiūt tibi. Omnia quidē serua sunt illi, vnus tamē & solus filius, & vnus spiritus sanctus est extra hæc omnia. Ac omnia sanè serua per vnum filium in sancto spiritu seruiunt domino.

Dei patiētia.

Christi imperium & tolerantia.

Imperium igitur super omnia tenet filius, & sustinet homicidas & latrones, & fornicatores, propter longanimitatem præfiniens

finiens tempus retributionis, quo reddet vnicui que, vt qui longo tempore acceperant dilationem, & impœnitens cor habuerunt, grauiùs condemnentur. Reges sunt hominũ, qui regnant in terra: sed non sine illa, quæ est desuper potestate. Et Nabuchodonosor aliquando didicit experientiâ, quòd regnum illius, regnum æternũ: & potestas ipsius, in generationem, & generationem. Non sunt Diaboli diuitiæ, aurum, argentum, quemadmodum nonnulli existimant. Fidelis enim hominis, vniuersæ diuitiæ mundi: infidelis verò, ne nummus quidem. Diabolo verò nihil infidelius. Et manifestè per prophetam dicit dominus: Meum est aurum, & meum est argentum: & non est malum argentum, tu modò vtaris benè, seminans illud pauperibus. Quãdo autem bono malè vteris, tunc nolens tuam ipsius administrationẽ odio persequi, in opificẽ impiè reijcis odium. Poterit sanè aliquis etiã per pecunias iustificari. Esuriui, inquit, & dedistis mihi mãducare, omninò id per pecunias. Et vis nosse, quòd bona, & opes possunt esse ostium regni cælorum? Vẽde omnia quæ habes, inquit, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis. Hæc sanè à nobis dicta sunt propter hæreticos, qui opes & bona, & corpora blasphemant. Neque enim seruum te bonorum esse velim, neque vt hostem te geras in his, quę tibi à deo in ministeriũ tradita sunt. Caue itaque, ne dicas vnquam, diaboli esse pecunias. Quamuis ille dixerit: Hæc omnia dabo tibi, quia mihi tradita sunt. Potest enim facilè quiuis ipsius verbum improbare. Mendaci namque nemo credit. Fortè autem & coactus tum à præsenti potestate, dixit verum. Nõ enim dixit: Hæc omnia dabo tibi, quia mea sunt, sed quia mihi tradita sunt. Non enim dominium sibi arripit: sed vsum tantùm, & dispensationem confitetur. Quęres autem suo tempore à scripturæ interpretibus, vtrùm mentiatur, an verum dicat.

Diuitiæ non sunt diaboli.

Pecuniis iustificari posse

Vnus igitur est Pater omnipotens, quem ausi sunt hæretici diffamare: ausi sunt maledicere dominum Sabaoth, sedentem super Cherubim. Ausi sunt maledicere Adonai dominum: ausi sunt maledicere eum, qui in Prophetis, omnipotentem Deum. Tu verò vnum adora omnipotentem Deum, patrem domini nostri IESV CHRISTI, fugiasque omnem deorum multitudinem, & omnem hæresim. Et cum Iacob dicas, Dominum verò omnipotentem inuocabo, facientem magna & inperuestigabilia, glorioſa & potentia, quorum non est numerus, & quæ de his omnibus sequuntur. Cui gloria nunc, & in secula seculorum, Amen.

CATE-

CATECHESIS NONA ILLVMINATORVM

Hierosolymis extemporanea: De factore Cœli & Terræ, visibiliumque omnium, & inuisibilium. Et lectio ex Iob: Quis est iste, qui me celat consilium, & continet verba in corde, me verò putat latere, &c.

CARneis Deum videre oculis nemo sanè poterit: quod enim corporis expers est, corporeis oculis comprehendi non potest. Et testatus est hoc vnigenitus Dei, dicens, Deum nemo vidit vnquam. *Deum in corpore nemo vidit.* Quamuis enim ex eo, quod scriptum est apud Esechielem, excipiat quis, quod viderit Esechiel. Sed quid dicit scriptura? vidit similitudinem gloriæ domini: Nõ ipsum dominum, sed similitudinẽ glorię. Neq; ipsam gloriã, vti reuerà est, sed similitudinem tantùm gloriæ vidit, & cecidit per terram, præ timore. Si ergo gloriæ similitudo cõspecta, timore & extremo tremore afficit prophetas: ipsum Deum quis tãdem cernere sustineat, & vita non priuetur? secundum illud quod dictum est: Nemo videbit faciem meam, & viuet. Propterea secundum maximam suam benignitatem Deus velum propriæ deitatis cœlum extendit, ne periremus. *Cœlũ est deitatis velum.* Non meus hic sermo, sed Prophetæ, qui dixit: Si aperueris cœlum, tremor à te capiet montes, & deficient. Et quid miraris si Esechiel similitudinem gloriæ illius videns cecidit? Cũ Danieli Gabriel Domini minister apparuit, & illicò cõsternatus cecidit super faciem: & donec in similitudine filij hominis archangelus seipsum ostendere non contendisset, non ausus est Propheta quicquam respondere. Si ergo Gabriel apparens, tremorẽ incutit Prophetis, Deus ipse si ita vt est appareat, nónne omnes perirent? Diuinam itaque naturam oculis corporis videre impossibile est. Ex operibus autem diuinis in imaginationem potentiæ eius venire possibile: quemadmodum Solomon dicit: Ex magnitudine & pulchritudine creaturarum, secũdum proportionem creator ipsarum perspicitur, sed addidit, quòd secundum mensuram, non sine ratione. Tantò enim maior vnicuique apparet Deus, quantò maiori contemplatione exaltatur cor. *Contemplanti magis, Deus magis apparet.* Et vis nosse, quòd natura Dei incomprehensibilis est? Dicunt tres pueri in camino ignis laudantes Deum: Benedictus es Deus, qui intueris abyssos, & sedes super Cherubim. Dic mihi quæ sit natura Cherubim? & tunc sedentem super illum perspicito. Et quamuis Esechiel propheta enarrationem illorum fecit, quantum fieri potuit, dicens, quatuor facies vni, vnum quidem hominis, alterũ leonis, tertium aquilæ, quartum vituli.

Et quòd ſex alæ vni,& quòd oculi ipſis vndique, & quòd vnicuique rota quadripartita ſubiecta . Tamen hac etiam declaratione per prophetam facta, nequaquam nos legentes comprehendere poſſumus. Quòd ſi Thronum enarratum comprehendere non poſſumus, ſedentem ſuper illum inuiſibilem & inenarrabilem Deum quomodo intellectu capiemus?

Cherubim.

Naturam igitur Dei curiosè perſcrutare impoſsibile, glorificare autem illum, ex hoc illius quod apparet opificio poſsibile. Hæc vobis propter fidei ordinem dicuntur: & quia dicimus,Credimus in vnum Deum, patrem omnipotentem,factorem cœli & terræ,viſibiliumque omnium & inuiſibilium, vt meminerемus etiam,quod ipſe eſt pater domini noſtri Ieſu Chriſti, & ipſe qui fœcit cœlũ & terrã, & vt cõfirmemus nos ipſos, contra peruerſiones atheorũ hæreticorũ, qui auſi ſunt malè prædicare de ſapientiſsimo omnium,totius mundi artifice,qui corporeis quidem oculis cernunt, mentis autem oculos habent obſcuratos. Quid enim habent,quod accuſent,in hoc maximo Dei opificio? Qui ſtupere potiùs deberent, intuentes cælorum magnitudinẽ: qui adorare deberent conſtituentem tanquàm fornicem cœlũ, & ex fluxa aquarum natura indeficientem cœli naturam fabricantem.Dixit enim Deus, Fiat firmamẽtum in medio aquarum. Semel dixit Deus,& permanſit,neque deinceps cecidit.Aqua eſt cœlum,& igneus in illo ſol, & luna,& ſydera. Et quomodo ignea in aqua currunt? Quod ſi quis de hoc propter naturas contrarias dubitat,recordetur ignis illius,in AEgypto,tempore Moſis exurentis in grandine,& conſideret ſapientiſsimum Dei opificium.Cùm enim futurum erat, vt propter agriculturam opus eſſet aquis, conſtituit aquas ſupra cœlos, vt cùm terra pluuiarũ irrigatione indigeret,paratum ſit à natura ad hoc cœlum. Quis autem non admiretur, aſpiciẽs Solis machinam? quàm paruum vas illud apparet, & quàm magnam continet virtutem. In oriente apparens, & vſque ad occidentem lumen emittit. Cuius matutinos ortus deſcribens Pſaltes,dixit: Et ipſe tanquàm ſpõſus procedens de thalamo ſuo: Splendoris illius proportionem, pro ipſius modo apparẽtis in cœlo deſcripſit. Meridianam enim illius rapiditatem perſæpè propter feruorem fugimus. Simul vt oritur, calidus eſt omnibus, tanquàm ſponſus conſpicuus. Aſpice autem & curſum ipſius, immò potiùs non ipſius, ſed illius,qui curſum illi per mandatum definiuit. Quomodo altior quidem æſtate,dies efficit longiores, dans ad labores hominum opportunitatem. Hyeme verò contrahit curſum, vt frigoris tempus

Cœlum ex aquis.

Aquæ ſuper cœlos in vſum pluuiæ.

tempus longius non videatur, sed noctes quidem factæ maiores, iuuent homines requie, iuuent & in fructificatione germinum terrę. Perspice autem, quomodo ordine pulchro sibi mutuò dies correspondent: æstate aucti, & hyeme diminuti: Vere autem & Autumno, ęqualitate interuallorum mutuò decorati. Et noctes quoque similiter perficiunt. De quibus Psaltes ait: Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. Nam his qui non habent aures hæreticis, modo non clamant per hunc optimum rerum ordinem, & dicunt: Nullum esse aliũ Deum, præter ipsum opificem, definitorem & gubernatorẽ vniuersorum. Neq; verò quisquã suscipiat illos qui dicũt, aliũ esse luminis factorẽ, & aliũ tenebrarũ. Meminerit autem Esaiæ dicentis: Ego dominus faciẽs lumẽ, & creans tenebras. Cur de teipso angeris ô homo? cur fers grauiter tempus, quod tibi in requiem concessum est? Non accepisset seruus à domino requiem, nisi tenebræ essent inductæ in hanc præscriptam necessitatem. Quomodo autem in die sæpè laborantes, noctu requiescimus. Et qui hesterno die fuit in laboribus, manè fit robustior, propter noctis quietem. Quid autem est ad sapientiam nocte commodius? in hac enim persæpè de Deo cogitamus: in hac lectioni & contemplationi diuinarum scripturarum vacamus. Quando autem magis in Psalmodiam & orationem mens nostra componitur? nunquid non noctu? & peccata persæpè nostra noctu in memoriam reuocamus. Non igitur malè opinemur, alium esse tenebrarum factorem: bonas enim esse illas & vtilissimas, ipsa docet experientia.

Noctis commoda.

Nox philosophiæ & orationi cõgruit.

Operæpretium autem fuerat illis, non modò solis & lunæ machinam admirari & stupere: verùmetiam astrorum ordinatos progressus, & perpetuos cursus, & vniuscuiusque opportunos ortus. Et quomodo alia quidem sunt signa æstatis, alia verò hyemis: & quomodo alia quidem tempus seminandi indicant, alia nauigandi initium significant: ita vt homo in naui sedens, & incertis fluctibus nauigans, in stellam aspiciens dirigat nauem. De quibus etiam scriptura: Et erunt, inquit, in signa & tempora, & annos: Non in Astrologiã & genethliacorum fabulationes. Vide autem, quomodo etiam in die pulchritudinem nobis conferat non ex improuiso. Non enim statim solem orientem intuemur: sed progreditur paulatim lumen, vt prospiciens pupilla, possit deinde maiores radios aspicere. Quomodo verò noctis tenebras, lunari splendore consolatus est? Quis est pluuiæ pater? Quis est qui peperit guttas roris? Quis est qui aërem condensat in nubes, & hymbrium aquas portare iubet? Et aliquando quidem à

Astrorum vsus.

Borea nubes splendidas adducit, aliquando verò in caliginem transmutat easdem,& rursus in varios circulos transfert,& figuras. Quis poterit numerare nubium varietatem? de quibus dicit Iob: Constuit autem diuersitatem nubiũ, cœlum verò declinauit in terram. Et, Non rumpitur nubes sub ipsa. Tot enim sunt aquarum mensuræ super nubibus, & non rumpuntur. Sed omni cum ordine in terram sparguntur. Quis est, qui educit ventos de thesauris suis? Quis est, vt dixim⁹, qui parit guttulas roris? De cuius ventre egreditur crystallum? aquea enim substantia, & vis illi est lapidea. Et quomodo aqua fit nix sicut lana? Quando verò & nebulam sicut cinerem spargit, quandoque in lapideam substantiam mutat? Cùm madefacit aliquid aqua, vna quidem illius est natura, sed diuersa operatio. Aqua in vineis, vinum facta, lætificat cor hominis, & alibi in diuersa fructuum genera mutatur. In his blasphemaré ne opificem an adorare oportet? Sed nõdum dico, quæ hactenus de illius sapientia nõ apparent. Circumspice mihi ver,& diuersi generis flores, in similitudine disparata. Rosam quidem rubram, Lilium autem album. Ex vna sanè pluuia hæc fiunt,& ex vna terra. Quis hæc discernit? quis operatur? Considera solertiam ex vna arboris substantia, hoc quidẽ in tegmen, illud autem in varios fructus crescit. Et vnus opifex vnius vineæ, aliud quidem in combustionem, aliud in germina, aliud in folia, aliud in pampinos, aliud in botros separat. Admirare calami dẽsissimum nodorum ambitum, quem fecit ille artifex. Ex vna terra reptilia prodeũt,& feræ & iumenta,& ligna,& cibi,& aurum, & argentum,& æs,& ferrum,& lapis. Vna est aquarum natura,& ex eadem est natantium & volatilium substantia, vt sicut illa natant in aquis, sic & aues volent in aëre. Hoc mare magnum & spatiosum, illic reptilia quorum non est numerus. Quis poterit enarrare piscium in ipso pulchritudinem? quis eloquatur cætorum magnitudinem? aut amphiuiorũ animãtium substantiam? quomodo & in terra rudi, & in aquis degunt? Quis poterit eloqui maris profunditatem & latitudinem, & immensum fluctuũ impetum? Qui tamen intra limites suos cõsistunt, propter eum qui dixit: Hucusque progrediaris,& non transgrediaris: & in te ipso confringantur fluctus tui. Quod sanè manifestat impositam sibi legem, quandoquidem excurrens, fluctuum quandam lineã apertam efficit in littoribus: ostendens intuentibus, quòd præfixos sibi non transgreditur terminos. Quis poterit perspicere aëreorum volatilium naturam? quomodo hæc quidem linguam habent canoram, ista autem varia pennarum ornantur pictura,

illa

Nubes imbrifera

Animantia ex aquis.

Maris limites à Deo cõstituti.

illa verò ſuper alia omnia in medium aërem elata, ſtare & nihil moueri videntur: vt accipiter diſtentis alis ſtat immobilis, ſpectans ad auſtrum: Quis hominum poterit viſu cõſequi aquilam exaltatam? Quòd ſi auem exaltatam non potes cõſpicere: quomodo factorem omnium vis conſyderare. Quis ex hominibus, ferarum omnium ſaltem nomina nouit? vel quis cuiuſque naturam poterit perſpicere? Quòd ſi ferarum etiam nomina ſcire nequimus, quomodo factorem ipſarum comprehẽdemus? Vnum eſt Dei mãdatum, quod dixit: Producat terra beſtias, & iumenta, & reptilia ſecundum genus. Et diuerſæ naturæ ex vna terra vno mandato productæ: ouis manſuetiſsima, Leo carniuorius. Et diuerſarũ animantiũ irrationabiles motus, & imitationes, habentes diuerſitatẽ volũtatũ & inſtitutorũ humanorũ: vt vulpes quidem ſignificet in hominibus dolum: ſerpens verò amicorum venena, equus hinniens iuuenum intemperantias. Formica laborioſiſsima, vt excitet pigrum & ſocordem. Cùm enim quis otiatur in iuuentute, tunc ab his animantibus docetur, redargutus à diuina ſcriptura dicente: Vade ad formicam ô piger, & videns æmulare vias eius, & ſis illa ſapientior. Videns enim, inquit, illam in tempore ſibi theſaurizantem cibos, imitare, & theſauriza tibi ipſi fructus bonorum operum in futura ſecula. Et rurſus vade ad apem, & diſce quàm laborioſa ſit: quomodo flores omnis generis oberrans, congerit tibi mel in vſum: vt & tu circuiens diuinas ſcripturas, tuam ipſius ſalutem apprehendas, & illis ſatiatus dicas, quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel & fauum ori meo.

Humani mores diuerſi in beſtiis expreſsi.

Nunquid ergo non glorificatiõe potiùs opifex dignus? Quid enim, etiamſi tu non omnium cognoſcis ſubſtantiam, ſiue genera? Non enim omnium herbarum vim poteris cognoſcere: & vſum qui ex vnoquoque animante procedit: Nam & ex viperarum venenis remedia, in ſalutem hominum conficiuntur. Sed dices mihi: perniciosius eſt ſerpens: Timeas dominum, & aſsidebit tibi ſicut Danieli. Eſt autem quòd verè vim animantium admiremur: quomodo alia quidem in aculeis, vt ſcorpius, habent acumen: alia verò vim habent in dentibus, alia vnguibus pugnant. Baſiliſco verò in oculis eſt potentia. Ex tam diuerſis ergo opificijs, agnoſce opificis potentiam. Sed hæc tu fortè non noſti: Quid eſt tibi cum extraneis animantibus: Intra autem deinceps in teipſum, & ex tua ſubſtantia cognoſce artificem. Quid improbandum in corpore tuo creatum eſt? Apprehendas teipſum, & nihil vile ex omnibus membris tuis reperies.

Animãtium vis & diuerſitas.

Ab initio Adam in paradiſo cum Eua nudus erat: ſed non propter membra erat reiectus: non igitur membra cauſa ſunt peccati, verùm malus membrorum vſus. Sapiens autem membrorum creator, quis conſtruxit vaſa matricis, ad puerperia? quis inanimatum in ipſa animat? quis neruis & oſsibus carnem & cutem induit, & ſimul vt naſcitur infans ex vberibus fontes lactis educit? quomodo infans creſcit in puerum, & is in iuuenem, deinde in virum, atque poſtremò in ſenem mutatur, etiamſi nulla per dies ſingulos expreſſa mutatio cuiquam appareat? Quomodo ex cibo aliud in ſanguinem, aliud in carnem mutatur, aliud in excrementum ſecernitur? Quis eſt qui cor aſsiduè mouet? Quis oculorum molliciem, palpebrarum obtentu manifeſtè communiuit? Nam de varia & admiranda oculorum ſtructura, copioſè medicorum libri diſſerunt. Quis eſt hic, qui vnum afflatum in totum corpus ſpargit? Vides homo artificem, vides opificem? Hæc ita nunc declaranda tibi latiùs exiſtimauimus: multa tamen millia prætermiſimus, maximè verò incorporeorum, & inuiſibilium: vt oderis blaſphemantes ſapientem & bonum artificem. Ex his autem quæ dicta ſunt, & lecta, & quæ ipſe inuenire & intelligere poteris: & ex magnitudine pulchritudineque creaturarum, ſecundum proportionem creatorem contemplare, piè flectens genua, factori omnium ſenſilium dico & intelligibilium, viſibilium omnium & inuiſibilium, atque grata benedicentiq; lingua, & non ceſſantibus labijs lauda Deum dicens: Quàm admirabilia opera tua domine, omnia in ſapientia feciſti. Cui honor & gloria, & magnificentia, & potentia, ante omnia ſecula, & deinceps in infinita ſecula ſeculorum,

A M E N.

Fabrica humani corporis admiranda.

CATE-

Hierosolymis, dicta ex tempore in hoc: Et in vnum dominum nostrum Iesum Christum. Et lectio ex prima ad Corinthios: Nam etsi sunt, qui dicantur dij, siue in cœlo, siue in terra: siquidem sunt dij multi & domini multi, nobis tamen vnus est Deus pater, ex quo omnia & nos in illo, & vnus dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum, &c.

QVI credere in vnum Deum omnipotentem decreuerunt, & in filium vnigenitum credere debent: qui enim negat filium, neque patrem habet. Ego sum ostium, inquit Iesus, nemo venit ad patrem nisi per me: Si negaueris ostiũ, præcludetur tibi & patris cognitio. Nemo enim cognoscit patrem nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Si negaueris reuelantem, manes in ignorantia. Sententia est in Euangelijs, quę dicit: Qui non credit in filium, non videbit vitam, sed ira Dei manet super illum. Indignatur enim pater, cùm filius eius vnigenitus non agnoscitur. Graue est regi, si quis gregarium militem inhonorarit: quòd si quis eorum, qui interius sunt, satellitum, vel amicorũ inhonoretur, tunc excitatur maior ira: sin autẽ aliquis ipsum filiũ vnicũ Regis contumelia afficiat, quis consolabitur patrem pro filio vnigenito indignantem? Si quis vult piè colere Deum, adoret & filium, alioquin eius cultus non recipietur. Pater cælitus pronunciauit, dicens, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit. Complacut patri in filio: quòd si tibi non complacuerit, non habebis vitam. Non ergo deprauaeris à Iudęis improbè vafreque dicentibus, vnus est tantùm Deus. Sed postea quam vnum esse Deum cognoueris, scias, quòd & filius Dei est vnigenitus. Non ego primus hoc dixi, sed Psaltes ex persona filij dicit: Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Ne itaque quod dicunt Iudæi attendas, sed quod dicunt Prophetæ. Miraris si reijciunt verba Prophetarũ, qui Prophetas lapidarunt? Tu credas in vnum dominum Iesum Christum, filium Dei vnigenitum. Vnum dicimus, vt non cogites alium. Vnum dicimus, vt multorum nominum illius potentiam, in multos impiè non diffundas. Dicitur enim ostium: sed non putes ligneã esse appellationem: sed ostium viuum rationale, discernens ingredientes. Via vocatur, non pedibus calcata, sed quæ ducit ad eum, qui est in cœlis, dominum. Ouis vocatur, non irrationalis, sed quæ per pretiosum sanguinem suum, mundum à peccatis mundat, quę ducitur corã tondente se, & scit quãdiu tacere oporteat. Hæc ouis rursus vocatur pastor, cùm dicit, Ego sum pastor.

Pater impiè colitur sine filio.

Filii Dei varia nomina:

Ostium.

Ouis.

Pastor.

Ouis

Ouis propter incarnationem, paſtor propter benignitatem deitatis. Et vis noſſe, quòd & ouis eſt rationalis, dicit apoſtolis: Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Leo quoque vocatur, non hominum vorator: ſed regium quiddam & ſolidum, atque confidentis perſonę, per eam appellationem indicatur. Leoque vocatur exaduerſo illi leoni noſtro aduerſario rugienti, & aberrantes deuoranti. Venit enim ſaluator, non mutans ſuæ naturæ manſuetudinem, ſed tanquàm leo fortis de tribu Iuda, ſeruans quidem credẽtes, conculcans autem aduerſarium. Lapis vocatur, non inanimatus, manibus hominum exciſus, ſed lapis angularis, & qui credit in eum, non confundetur.

Leo.

Chriſtus.

Mortuus.

Filius hominis.

Dominus.

Ieſus.

Filius.

Chriſtus vocatur, non humanis manibus vnctus, ſed à patre perpetuo, in eam, quæ ſuper homines, ſupremam ſacerdotij dignitatẽ inunctus. Mortuus vocatur, non permanens inter mortuos, vt omnes qui ſunt in inferis: ſed ſolus ex mortuis liber. Filius hominis vocatur, non vt quilibet noſtrûm, ex terra generationem habens: ſed venturus in nubibus iudicare viuos, & mortuos. Dominus vocatur, non abuſiuè, ſed tanquàm inter homines. Ieſus vocatur vero nomine, à ſalutari medicina habens appellationem. Filius vocatur, non per adoptionem inductus, ſed naturaliter genitus.

Et multæ ſanè ſunt ſaluatoris noſtri appellationes: vt ergo propter multas appellationes, multos non putemus eſſe filios, & propter errores hæreticorum, qui dicũt, alium eſſe Chriſtum, alium Ieſum, aliud oſtium: & ſic de reliquis. Primò confirmeris fide, profitendo benè: Et in vnum dominum Ieſum Chriſtum. Quamuis enim multæ ſunt appellationes, ſed vnum tamen ſubiectum: vnicuique autem varius fit ſaluator ad vtilitatem. Qui enim indigent recreatione & lætitia, illis fit vinea: qui opus habent, vt ingrediantur, his conſtituitur oſtium: & qui cuperent offerre orationes, illis fit mediator, ſummusque ſacerdos. Rurſus habentibus peccata, fit ouis, vt pro ipſis mactetur. Et omnibus fit omnia, ipſe idem naturâ permanens, qui eſt. Manens enim idem & verè, immutabilem filij dignitatem habens, tanquàm optimus medicus & doctor compatiens, accommodat ſe ad infirmitates noſtras. Dominus verè exiſtẽs, non ſucceſsione, vel proſperitate aliqua dominationem accipiens, ſed naturâ dominationis habens dignitatem. Non abuſiuè dominus vocatus, ſed verè dominus exiſtens: Quoniam nutu patris dominatur ſuis opificijs. Nos quidem habemus dominium ſuper homines honore nobis æquales, & affectionibus ſimiles: ſæpenumerò

Chriſtus fit omnia omnibus.

etiam

etiam nobis generosiores. Et iuuenis persepè dominus fit, seruorum maximè senum. Dominium autem domini nostri IESV CHRISTI non est eiusmodi: sed primùm factor, deinde dominus: primùm fecit nutu patris omnia, deinde his quæ fecit dominatur. Christus est dominus, qui natus est in ciuitate Dauid. Et vis nosse, quòd cum patre etiam ante incarnationem est Christus dominus: vt non solùm fide percipias dictum, sed demonstrationem habeas ex veteri testamento. Veni ad primum Geneseos librum. Dicit Deus, Faciamus hominem: non inquit, ad imaginem meam, sed ad imaginem nostram. Et cùm iam fecisset Adam, dicit: Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit ipsum. Non enim attribuit tantùm soli patri deitatis dignitatem, sed comprehendit in illa & filium, vt demonstret, quòd homo non solùm Dei patris sit creatura, verùm & domini nostri IESV CHRISTI. Iste dominus patri cooperans, cooperatus est & super Sodomis, secundum scripturam dicentem: Et dominus pluit super Sodomam & Gomorrham, sulfur & ignem, à domino de cœlo. Hic dominus apparuit quoque Moysi, ita vt potuit videri. Benignus enim dominus est, & compatiens infirmitatibus nostris. Et vt scias hunc eundem esse, qui Moysi apparuit, accipe testimonium Pauli dicentis: Bibebant autem de spiritali consequente eos petra: Petra autem erat Christus. Et rursus fide Moyses reliquit Aegyptum. Et post pauca dicit: Maiores diuitias æstimans thesauro AEgyptiorum, improperium Christi. Hîc Moyses dicit ad illum: Ostende mihi teipsum, cognoscens videbo te. Cernis quòd & Prophetę tunc videbant Christum, sed ita vt capere poterant. Ostende mihi teipsum, cognoscens videbo te. Quod verò dicit: Nemo videbit faciem meam & viuet. Propterea sanè, cùm deitatis personam nemo viuus potuit videre, humanitatis personam recepit, vt videntes viuamus. Et cùm voluit hanc personam cum exigua dignitate ostendere, quando facies illius resplenduit vt sol, discipuli cadũt præ timore. Si ergo faciei corporis splẽdor, nõ tãtùm, quãtũ ille qui id operabatur potuit, sed quantum capiebant discipuli, ita perterrefecit eos, vt ferre non potuerint: quomodo in deitatis dignitatem oculos aliquis poterit intendere? Magnum quiddam, dicit dominus, desideras ô Moyses: recipio tamẽ insatiabile tuum desiderium, & hoc verbum tibi faciam: sed ita vt tu capere potes. Ecce ponam te in foramine petrę. Cùm enim exiguus sis, in paruo circumscriptus eris.

Christus erat etiam ante incarnationem.

Gen. 2.

Christus Moysi apparuit.

1 Cor. 10.

Exod. 33.

Cæterùm hîc deinceps confirma mihi propter Iudęos, quod

dictum est:Hoc enim erat nobis propositum demonstrare,quod erat apud Deum patrem,dominus IESVS. Dicit igitur primũ Moysi:Ego præteribo prior te gloria mea,&vocabor in nomine domini corã te,Dominus ipse existẽs, quẽ alium vocat dominũ. Cernis quàm occultè docuit, piam hanc de patre & filio doctrinam?Et rursus in his quæ sequuntur, his verbis scriptum est:Et descendit dominus in nube, & vocabat in nomine domini, & præterijt dominus ante faciem ipsius, & inuocauit:Dominator domine Deus misericors & clemens, patiens & multæ miserationis,ac verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem & scelera atque peccata. Tum deinde procumbens Moyses & adorans coram Deo vocante patrem dicit:Gradiaris autem nobiscum.Habes primam hanc demonstrationem,sed recipe aliam manifestiorem. Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis. Dominus domino hæc dicit,non seruo, sed domino omnium,filioque suo:cui omnia subiecit. Cùm autem dicat, omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum qui subiecit omnia ei,vt sit Deus omnia in omnibus,Dominus est omnium vnigenitus filius,filius verò patris fidelis, non rapiens sibi dominiũ: sed à spontaneo volenteque accipiens.Neque filius rapuit, neq; pater traditionem dominij illi inuisit. Ipse est qui dicit: Omnia mihi tradita sunt: & seruo benè, non defraudoq; patrẽ dantem.

Moyses quomodo Deum viderit.

Filius Dei omnium dominus.

Dominus igitur est filius Dei: dominus qui natus est in Bethleem Iudæ, sicut angelus dixit pastoribus: Euangelizo vobis gaudium magnũ: quia natus est vobis hodie Christus dominus, in ciuitate Dauid. De quo alibi dicit quidã ex apostolis: Sermonem misit Euangelizans per Iesum Christum: Hic est omnium dominus,quãdo autem dicit,omnium, nullam dominij partem excipit: siue enim angeli,siue archangeli, siue Principatus, siue quidpiam eiusmodi è rebus creatis, ab apostolis nominatum: omnia sunt dominio filij subiecta. Angelorum est dominus, sicut habes in euangelijs. Tunc recessit ab illo diabolus, & angeli accesserunt, & ministrabant ipsi: quod est officium seruitutis. Cùm ex virgine nasci debebat: ministrabat tunc Gabriel, propriam dignitatem esse reputans ipsi ministrare. Cùm in AEgyptum ire debebat,vt manufacta AEgypti dissolueret: rursus angelus in somnis apparuit Ioseph.Crucifixo illo & resurgẽte,Angelus annunciat,& dicit mulieribus (quàm bonus minister:)Ite, inquit,& dicite discipulis eius, quòd surrexit dominus, & præcedet vos in Gallilæam, ecce prædixi vobis. Quasi diceret: Non sum transgressus illius mãdatum.Testor illum dixisse vobis, vt si

Christus angelorum dominus.

negle-

neglexeritis, non contra me fiat indignatio, sed aduersus negligentes.

Hîc igitur est vnus dominus IESVS Christus, per quem omnia,& nos per ipsum. IESVS Christus vocatur duplici nomine:IESVS propter saluationem, Christus propter sacerdotium,quo fungitur. Quod cognoscens diuinus propheta Moyses,duobus viris omnium excellentissimis, duas hasce contulit appellatiões. Alterum quidem sui Principatus successorem Naue, IESVM nominauit:Alterum verò fratrem suum Aaron, Christũ appellauit: vt per duos homines excellentes, & summi sacerdotij simul, & Regia dignitas, futuri vnius IESV Christi, cõponeretur.Summus enim Pontifex est Christus secundũ Aaron:non ille seipsum censuit fieri summum sacerdotem: sed qui locutus est ad illum:Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Typum verò illius gessit IESVS Naue, in multis.Incipiens enim præesse populo, à Iordane cœpit: vnde & Christus baptizatus cœpit euangelizare.Duodecim diuisores hæreditatum filius Naue constituit: duodecim quoque apostolos præcones veritatis in omnem terram misit IESVS.

Christus propter sacerdotium dictus.

Typus Christi in Iesu Naue.

Credentem Raab meretricem ille typicus saluauit.Hic autem verus IESVS dicit:Ecce publicani & meretrices præcedent vos in regnũ Dei. Sonitu solo Typicus ille prostrauit muros Hiericho:Et propter dictũ IESV: Non relinquetur hic lapis super lapidẽ,cecidit hoc coram nobis Iudæorũ templũ. Non quòd illius dictum cadendi fuerit causa, sed quia peccata iniquorum,illius casus causam esse videbat. Vnus est dominus IESVS, cuius nomen admirabile,à Prophetis obliquè prẹnunciatum.Dicit enim Esaias:Ecce saluator tibi aderit, habens mercedem suam. Saluator verò apud Iudæos IESVS dicitur. Prophetica enim gratia dominicidas Iudæos præuidens, occultauit appellationem:ne si apertè præsciuissent, promptius illi insidiarentur. IESVS autem vocatus est non ab hominibus, sed ab angelo,manifestè, nõ sua authoritate veniente, sed à Deo misso, qui dixit ad Ioseph, Ne timeas accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in illa natum est,de spiritu sancto est: Pariet autem filium, & vocabis nomen eius IESVM.Cuius nominis causam statim reddit:Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Qui nondum genitus est,quomodo populũ habere intelligetur,nisi antequàm nasceretur fuisset.Et hoc est,quod ex eius persona dicitur: De ventre matris meę,vocauit nomen, quia prædixerat angelus, quòd IESVS vocabitur. Et rursus, propter Herodis insidias.

Et sub protectione, inquit, manuum suarum occultauit me.

Iesus Græcè medicum sonat.

IESVS itaque apud Hebræos significat Saluatorem, in lingua verò Græca, medicum sonat: quandoquidem & corporum medicus est, & animarum curator. Cæcorum sensilium sanator, & mẽtium illuminator: claudorum curator, & peccatorum dux ad pœnitentiam. Qui dixerat paralytico: Non pecces amplius, & tollens grabatum tuum ambula. Cùm enim propter animi morbum langueret corpus, priùs animam curauit, vt corporis etiam induceret sanitatem. Cuius itaque anima peccatis affecta est, habet medicum. Et si quis est hîc modicæ fidei, dicat ad illum: adiua incredulitatem meam. Si quis etiam corporeis obnoxius est affectionibus: non diffidat, sed accedat, curabit ille etiam hæc, & cognosces, quia IESVS est Christus, Iudæi quidem concedunt illum esse IESVM, Christum verò esse negant. absit hoc. Ideo dicit apostolus: Quis est mendax, nisi qui negat, quòd Iesus non est Christus. Christus est summus sacerdos, immutabile habens

Christi æternum sacerdotium.

sacerdotium, quod neque à tempore cepit, neque successorem alium habebit sacerdotij. Quemadmodum die Dominico audisti, nobis in Synaxi differentibus, de eo quod dicitur: secundum ordinem Melchisedech. Non ex corporea successione accipiens Sacerdotium: neque facticio oleo vnctus: sed ante secula à patre, idque tanto excellentius alijs: quoniam hic cum iureiurando factus est sacerdos. Alij enim sine iureiurando sunt sacerdotes, alij autem cum iureiurãdo. Propterea quòd dicit: Iurauit dominus, & non pœnitebit eum. Sufficiens erat ad securitatem, tantummodo voluisse patrem: duplicatio autem securitatis est hic modus, cùm voluntati iusiurandum accedit. Vt propter res duas incommutabiles, in quibus Deum impossibile est mentiri, fortiorem habeamus fidei consolationem, qui Christum IESVM filium Dei recepimus.

Synaxis.

Christum Prophetæ nouerant.

Hunc Christum negabant Iudæi cognati, dęmones autem confitebantur. Sed non ignorabat illum Patriarcha Dauid dicẽs: Paraui lucernam Christo meo. Ac alij quidem lucernam prophetiæ claritatem interpretati sunt: alij verò, lucernam capiebant pro incarnatione ex virgine, secũdum illud quod est apud apostolum: Habemus thesaurum hunc in vasis fictilibus. Non ignorabat Christum Propheta dicens: Et annũcians hominibus Christum eius. Nouerat illum & Moyses: nouerat Esaias: nouerat Hieremias. Nemo ex Prophetis illum ignorabat. Agnouerant etiam illum dæmones. Prȩcepit enim ipsis, inquit, quia sciebant ipsum esse Christum, principes autẽ sacerdotũ ignorabant.

Et mu-

Et mulier Samaritana prędicauit, dicens: Venite, videte hominẽ, qui dixit mihi omnia quæ feci. Ne fortè hic est Christus? Hic IESVS Christus est: assistens Pontifex futurorum bonorum, qui propter abundantiam Deitatis, omnibus nobis tradidit suam appellationem. Reges quidem inter homines, non commune cum alijs hominibus regium nomen habent: IESVS autem Christus Dei filius, Christianos nos vocari dignatus est.

Christianorum nouum est nomen.

Sed dicet aliquis, nouum est nomen Christianorum, & anteà non erat in vsu, quæ autem nuper facta sunt, sæpè his, propter nouitatem cõtradicitur. Præmunierat hoc Propheta dicens: Seruientibus mihi vocabitur nomen nouum, quod benedicetur super terrã. Quęramus ex Iudæis: Seruitis domino, an non? Ostendite igitur nomen vestrum nouum. Iudæi enim & Israëlitæ, à Moyse & alijs Prophetis vocati estis. Et post reditum ex Babilone, & hucusque. Vbi ergo est nomen nouum? Nos verò posteaquàm seruimus Christo, habemus nomẽ nouũ, quod benedicitur super terram. Cõprehendit vniuersam terrã hoc nomen. Iudæi enim in vna quadam sunt regione: Christiani verò vsque ad fines terræ, vbi etiam vnigeniti filij Dei annunciatur nomen. Vis nosse quòd nomen Christi gaudebant prædicare Apostoli? immò potius Christum, in seipsis habebant. Paulus dicit ad auditores Iudæos. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur, Christi? Paulus annunciat Christum: quis autem est iste? Ille qui anteà persequebatur, ipse nunc Christum annuntiat. Quamobrem? Nunquid pecunijs corruptus? an quia vidit prę-sentem, & reueritus est, cùm raptus erat in cœlum? Exiuit vt persequeretur, & post triduum Damasci persecutor, fit illius præco. qua virtute? Alij quidem domesticos de rebus domesticis citant testes: Ego verò eum, qui anteà fuerat hostis, testẽ statuo: Et adhuc dubitas? Magna quidem Petri & Ioãnis testimonia. Sed suspitiosus aliquis dixerit, quòd erant domestici. De illius autem, qui hostis anteà fuit, deinceps verò pro illo moritur, quis dubitet amplius illius esse verum testimonium? Miratus sum certè sancti spiritus dispensationem: quòd aliorum quidem epistolas paruo numero circumscripsit, Pauli autem, anteà sui persecutoris, quatuordecim esse concesit. Nõ enim eò, quòd minor esset Petrus aut Ioannes, præcidit gratiam. absit: sed quòd dubia non esset doctrina illius, qui anteà esset inimicus, & persecutor, plura concesit illum scribere. Vt omnes sic nobis faciliùs persuadeamus: stupebant enim omnes de Paulo dicentes: Nónne hic est, qui priùs persequebatur? Nónne hic venit, vt nos ligatos ducat

Testimonium hostis de Christo.

Pauli cur tot Epistolæ.

Hieroſolymas? Non miremini, inquit, Paulus: Ego ſcio quod durum eſt mihi aduerſus ſtimulum calcitrare: Scio quòd non ſum dignus vocari apoſtolus, quia perſequebar Eccleſiam Dei, ſed ignorans: Exiſtimabam enim eſſe ſolutionem legis, Chriſti prædicationem: neſciui autem, quòd ipſe venit adimplere legem, & non ſoluere: ſuperabundauit autem gratia Dei in me.

Multa ſunt vera dilecti, de Chriſto teſtimonia: teſtatur pater de cœlo, de filio: teſtatur ſpiritus ſanctus deſcendens corporaliter, in ſpecie columbæ. Teſtatur Gabriel archangelus Mariæ Euãgelizans, teſtatur virgo deipara: teſtatur beatus præſepij locus. AEgyptus teſtatur, quæ puerum adhuc dominum receperat in corpore: teſtatur Simeon recipiens ipſum in vlnas, & dicens: Nunc dimitte ſeruum tuum domine, ſecundum verbum tuum in pace: Quia viderũt oculi mei, ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum. Et Anna prophetiſſa, continens religioſiſsima, & monialis, teſtatur de ipſo: teſtatur & Ioannes Baptiſta, maximus quidem inter prophetas, archidux autem noui teſtamenti: Et quodammodò conglutinans in ſeipſo ambo teſtamenta, & nouum & vetus. Teſtatur Iordanus inter flumina. Teſtatur inter maria, mare Tyberiadis: teſtantur cœci, teſtantur claudi, teſtantur mortui excitati, dæmones teſtantur, dicentes: Quid nobis & tibi IESV, ſcimus enim te eſſe filium Dei: teſtantur venti quieti & tranquilli effecti. Quinque panes teſtantur, in quinque millia multiplicati. Lignum crucis teſtatur, ad hodiernum diem apud nos apparens, & apud eos qui ſecundum fidem ex illo capientes hinc vniuerſum orbẽ ferè iam replerunt. Palma quæ eſt in Pharynge teſtatur ramos exhibens, his qui tũc benedicebant. Gethſemani teſtatur, modo non monſtrans Iudam adhuc cõſyderantibus. Golgotha hic mons ſanctus & conſpicuus eminenter, teſtatur ſepulchrum ſanctitatis, teſtatur & lapis ad hodiernam diem vſque poſitus. Sol nunc lucens teſtatur, qui tunc ſalutaris illius paſsionis tempore defecerat. Tenebræ teſtantur: quæ factæ fuerant à ſexta hora vſque ad nonam: Lumen teſtatur, quod à nona hora vſque ad veſperas lucebat. Mõs oliuarum hic ſanctus teſtatur, ex quo aſcendit ad patrem: & imbrigenæ nubes teſtantur, quæ dominum ſuſceperunt. Et cœleſtes portæ teſtantur, de quibus dixerat Pſalmus: Tollite portas Principes veſtras &c. & introibit Rex gloriæ. Qui hoſtes aliquando erant teſtantur, è quibus beatus Paulus vnus eſt, ad modicum quidem gerens inimicitias, longo autem tempore illi ſeruiens. Apoſtoli duodecim teſtãtur, non verbis tãtùm, verũetiam tormen-

Teſtes Chriſti.

Anna Prophetiſſa continens, & monialis erat.

Crucis lignũ per vniuerſum orbem ſparſum.

tormentis, & propria morte prędicantes veritatem: vmbra Petri teſtatur, ſanans in nomine Chriſti ægrotos, ſudaria & ſemicinctia Pauli teſtantur, ſimiliter vt Chriſti virtute, per Paulum ſanãtia. Perſæ & Gothi, & omnes gentes teſtantur, morientes pro illo, quem corporeis oculis non viderunt. Qui per fideles vſque ad hodiernum diem expelluntur dæmones, teſtantur. Tot & tam excellentes plurimiq́ue ſunt teſtes. Nunquid non creditis? Chriſtus ipſe teſtatus eſt. Si quis igitur eſt, qui priùs non credebat, credat nunc: Si verò fuit fidelis maius fidei adminiculum accipiat. Credens in dominum noſtrum IESVM Chriſtum, agnoſcat cuius habet appellationem: Chriſtianus vocatus es, parce huic nomini: ne propter te blaſphemetur dominus noſter IESVS Chriſtus filius Dei. Sed luceant bona opera tua potiùs coram hominibus: vt videntes homines glorificent in Chriſto IESV domino noſtro patrem, qui eſt in cœlis: cui gloria nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

CATECHESIS VNDECIMA ILLVMINATORVM

Hieroſolymis extemporanea. De his rebus: in filium Dei vnigenitum, ex patre genitum, Deum verũ ante omnia ſecula, per quem omnia facta ſunt. Et lectio ex epiſtola ad Hebræos, Multifariè multisq́; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouiſſimè autem locutus eſt nobis in filio, &c.

QVòd in IESVM Chriſtum ſperamus, ſatis iam quãtum potuimus, in his quæ à nobis heri tradita ſunt, diximus: non vulgariter autem in Chriſtum credendum: neque tanquàm in aliquem ex his, qui abuſiuè Chriſti vocati ſunt, illi enim erant typici Chriſti: hic autem Chriſtus verus, non ex hominibus promotione aliqua in ſacerdotium aſcendit: ſed ſemper ſacerdotij habuit dignitatem. Et ideo præmuniens fides, ne vulgares Chriſtos ſuſpicaremur, Vnum, apponit confeſsioni fidei, quòd credimus, in vnũ dominum noſtrum IESVM Chriſtum filium Dei vnigenitũ. Filium porrò cùm audis, non exiſtimes eſſe adoptiuum, ſed naturalem filium, vnigenitum filium, qui fratrem alium habet nullum. Propterea enim vocatur vnigenitus, quòd in dignitate deitatis, & ex patre generatione, fratrẽ non habet. Filium autem Dei vocamus ipſum, non ex nobis ipſis, ſed quoniam pater ipſius filium eum vocauit. Vera autem eſt appellatio, quæ à patribus filijs datur. Incarnatus eſt tunc dominus noſter IESVS Chriſtus, ſed à multis ignorabatur: quod cùm docere vellet, congregatis diſcipulis, quærebat ex illis:

Chriſtus ab æterno ſacerdos.

Deus incarnatus.

Quem

Quem dicunt esse filium hominis:non inanis gloriæ studio:sed vt veritatem illos doceret, hæc quæsijt, vt qui cum vnigenito Dei habitarent, tanquàm simplicem aliquem hominem illum non contemnerent. Dicentibus autem illis: Quòd alij quidem Heliam,alij verò Hieremiam,dicit ad illos: Illi quidem nescientes,excusabiles. Vos autem apostoli,qui in nomine meo leprosos mundatis,&dæmonia eijcitis,& mortuos excitatis,non debetis eum ignorare,per quem facitis miracula.Omnibus autem reticentibus, (supra vires enim humanas hæc erat doctrina) Petrus princeps apostolorum, & supremus Ecclesiæ præco, non comminiscens sibi, neque ratione humana persuasus,sed à patre Deo,in mente illuminatus,dicit ad ipsum: Tu es Christus. Non simpliciter,sed filius Dei viuentis.Et statim benedictio verbum id subsequitur: Erat enim id verè supra hominem.Et obsignans id quod ille dixerat, quòd pater esset,qui hoc illi reuelaret, dicit saluator: Beatus es Simon Bariona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi,sed pater meus qui in cœlis est.

Petrus princeps apostolorum & Ecclesiæ.

Qui itaque agnoscit dominũ IESVM Christum cum Deo, fit particeps eius beatitudinis:qui verò negat filium Dei, infœlix & miser est.Porrò cum filium audis, non abusiuè dici filium putes,sed verè filium naturalem: non ex seruitute in adoptionis prosperitatem ascendentem, sed inperscrutabili incomprehensibiliq́ue generatione productum. Similiter cùm audis primogenitum,non humano id more esse putes:hominum enim primogeniti alios quoque habent fratres, sicut alicubi scriptum est:Filius primogenitus meus Israël.Sed sicut Ruben fuit abiectus,ita Israël. Ille enim in patris cubile ascenderat. Israël autem filiũ patris eicijẽs ex vinea,crucifixit.Et ad alios quoq; dicit scriptura:Filij estis dñi Dei vestri,& alibi: Ego dixi dij estis,& filij excelsi oẽs. Dixi:non genui. Illi verbo adoptionem,quam non habebant acceperunt, hic autem non aliud erat,& aliud factus, sed filius ab initio genitus,filius patris,similis generanti,vita ex vita progenita,& lumen de lumine,& veritas de veritate, & sapiẽtia de sapiẽtia,& rex de rege,& Deus de Deo. Si igitur audieris Euangelium cũ dicit:Liber generationis IESV Christi,filij Dauid,filij Abraham:secundum carnem id intellige:filius enim Dauid factus in consumatione seculorum: Et illud quidem accepit,quod non habuit:hoc autem quod habuit, habuit perpetuò, vt sit genitus de patre. Duos patres habet, vnum Dauid secundum carnem, & alterum Deum patrem secundum deitatem. Et illud quidem quod est secund um Dauid,& tempori subijcitur, & contrectatur, &

Filius primogenitus quomodo.

Christus habet duos patres.

tur,& prosâpia eius recensetur. Quod verò est secundum deitatem, neque tempori subijcitur, neque loco, neq; genus eius recensetur. Generationem eius quis enarrabit? Spiritus est Deus: qui vero spiritus est, spiritaliter generatur vt incorporeus, inperscrutabili,& incomprehensibili generatione. Filius ipse dicit de patre, Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te: hodie autem non recens, sed perpetuum hodie, & sine tempore, & ante omnia secula: Ex vtero ante luciferum genui te.

Crede itaque in IESVM Christum filium Dei viuentis, filiũ autem vnigenitum, secundum euãgelium, quod dicit: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Et rursus: Qui credit in filium nõ iudicatur, sed transiatus est ex morte in vitam: qui nõ credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super illum: quia non credidit in filium Dei vnigenitum. De quo testimonium perhibens Ioannes dixit: Et vidimus gloriam eius, gloriã quasi vnigeniti à patre, plenũ gratiâ & veritate. Quẽ tremẽtes, dicebant dæmones: Quid nobis, & tibi fili Dei viuẽtis.

Filius ergo est DEI, non adoptione, sed naturâ genitus ex patre, qui diligit generantem, diligit & genitum ex eo: qui autem non recipit genitum, contumelia afficit genitorem. Quum autem generantem Deum audis, ne incidas in corpora, neq; corruptibilem esse opineris generationem, ne impiè agas. Spiritus Deus, spiritalis eius generatio. Corpora enim generant corpora: & in eorum generatione tempus intercedat necesse est. Eius autem, quę est ex patre generationis, tempus intermedium non est. Et quod hîc generatur, imperfectum est: filius autem Dei perfectus est genitus. Quod enim nunc est, hoc ab initio natus. Nos cùm nascimur infantes, ex ignorantia in rationem progredimur. Imperfecta est, ô homo, tua generatio: per successionem enim fit illius accessio. Illic autem nihil eiusmodi existimes: neq; infirmitatis genitum arguas. Si enim imperfectus quidem genitus est, successu verò temporis perfectionem adeptus est, infirmitatis illum arguis. Sin autem, quæ tu deinceps tempore illi accessisse putas, ab initio habuit, non ergo humanam esse existimes istam generationem, neq; sicut Abraham genuit Isaac: qui non quem voluit progenuit, sed quem alius illi contulit.

Filius quo modo ex patre generatur.

Deo patre generante neque ignorantia intercedit, neq; deliberatio. Dicere enim, quòd natum ex se ignorat, maxima est impietas, tum verò dicere, quòd in tempore considerans, deinceps pater est factus, eiusdem est impietatis. Non enim prius erat

Generatio diuina.

Deus ſine prole, ſucceſſu verò temporis factus eſt pater: Sed ſemper habet filium quem genuit: non ſicut homines ab hominibus, ſed ſicut ipſe nouit, qui genuit ipſum ante omnia ſecula Deum verum. Cùm enim Deus verus eſſet pater, ſimilem ſibi genuit filium, Deum verum. Non quemadmodum magiſtri generant diſcipulos. Non vt Paulus quibuſdam dicit: In Chriſto IESV per Euangelium ego vos genui. Hic enim ſecundum naturam filius non erat, per doctrinam, filius eſt factus. Illic autem naturalis filius, & verus filius. Non ſicut vos illuminati, nunc facti eſtis filij Dei. Efficimini enim & vos filij, ſed adoptione per gratiam, ſicut ſcriptum eſt: Quicunq; receperunt ipſum, dedit illis poteſtatem, filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Qui non ex ſanguinibus, neq; ex voluntate carnis: ſed ex Deo nati ſunt. Et nos quidem naſcimur ex aqua & ſpiritu. Non ita autem Chriſtus Ieſus ex patre natus eſt, tẽpore baptiſmatis clamãte & dicente: Hic eſt filius meus. Non dixit, hic nunc factus eſt filius meus: ſed, hic eſt filius meus, vt oſtendat quod ante baptiſmatis operationem, filius erat. Genuit pater filium non ſicut in hominibus mens generat verbum. Mens enim ſubſiſtens in nobis eſt: verbum autem prolatum, in aëra ſparſum, diſperditur.

Chriſtus verbũ ſubſiſtens & viuens.

Nos autem ſciamus Chriſtum eſſe natum verbum, non enuntiatiuum, ſed verbum ſubſiſtens & viuens: non labijs prolatum, & diſolutum, ſed ex patre perpetuo, ineffabili modo & in ſubſtantia natum. In principio enim erat verbum, in dextera ſedens, verbum intelligens patris voluntatẽ, & illius nutu omnia gubernans. Verbum quod deſcendit & aſcendit: nam illud quod enunciando profertur, non deſcendit, neque aſcendit. Verbum loquens & dicens: Quæ vidi à patre meo, hæc loquor. Verbum potens, & imperans omnibus: Omnia enim filio tradidit pater.

Genuit igitur ipſum pater, non ita vt aliquis intellexerit, ſed vt ipſe ſolus nouit. Neque enim quomodo genuerit, dicere promittimus: ſed quòd non ita genuerit, confirmamus.

Creatoris generationem nulla nouit creatura.

Neque verò nos tantùm hanc ex patre, filij ignoramus generationem: ſed etiam vniuerſa creata natura. Perquire terram ſi tibi dicet: etiamſi omnia perquiſieris, quæ ſunt ſuper terram, dicere non poterunt. Terra enim ſui figuli, & creatoris ſubſtantiam dicere non poterit. Neque terra tantum id neſcit, verùmetiam ſol, quarto enim die creatus eſt ſol, & ea quæ tribus ante illum diebus facta ſunt non nouit, quomodo ipſum factorem poterit eloqui. Cœlum quoq; hoc non enarrabit: nutu enim patris per Chriſtum, cœlum tanquàm fumus extenſum eſt.

Neque

Neq; cœli cœlorũ enarrabũt: neq; aquæ, quæ ſuper cœlos ſunt, hoc enarrauerint. Quid igitur doles te neſcire ô homo, quod & cœli ignorant: ſed & vniuerſa natura angelica. Si enim poſſet eſſe, vt aliquis in primum cœlum aſcendens, perſpicienſq; angelorum ſtatum, & accedens, interrogauerit: quomodo Deus filium ſuum genuerit. Dicerẽt fortè, ſuperiùs habemus maiores, quàm nos, illos interroga: aſcende in ſecundum cœlum, & tertium ſi potes conſcende, & ad dominationes, principatus & poteſtates. Etiamſi ad illos acceſſerit quiſpiam, quanuis id ſit impoſsibile: & illi hanc enarrationem recuſarent, neq; enim eam norunt. Equidem admiratus ſum audacem illorum curioſitatem, qui per opinionem religionis incidunt in impietatem. Cùm enim Thronos & dominationes, quæ ſunt Chriſti opera: cùm & principatus & poteſtates ignorãt, ipſum factorem curiosè ſcrutari aggrediuntur. Dic mihi primùm ô audacule, quid thronus differat à dominatione, & tunc ſis curioſus circa Chriſtum: dic mihi, quid ſit principatus? quid poteſtas? quid virtus? quid angelus? & tunc factorem perquire curiosè. Omnia enim per ipſum facta ſunt, ſed ne velis interrogare Thronos, aut dominatiões: neq; enim enarrare poterunt.

Throni & dominationes ſunt Chriſti opera.

Quis eſt alius, qui cognoſcat profunda Dei, niſi ſpiritus ſanctus, cuius eloquia ſunt diuinæ ſcripturæ: neq; tamen vel ipſe ſpiritus ſanctus de filij ex patre generatione, in ſcripturis locutus eſt. Cur igitur curiosè inquiris ea, quæ nec ſpiritus ſolus locutus eſt in ſcripturis? Qui ea quæ ſcripta ſunt non noſti, in his quæ ſcripta non ſunt, ne ſis curioſus. Quæſtiones multæ ſunt in ſcripturis diuinis, & tamen quæ ſcripta etiam ſunt non comprehendimus, quid de eo quod ſcriptum nõ eſt, curioſi ſumus? Sufficit nobi ſcire, quòd genuit Deus vnum ſolum. Non te pudeat ignorantiam confiteri: quandoquidem cum angelis id ignoras. Qui genuit, ille ſolus nouit, & qui ab illo genitus eſt, nouit genitorẽ. Qui genuit, nouit quem genuit. Et ſcripturæ teſtantur, quòd Deus eſt genitus. Sicut enim pater vitam habet in ſeipſo, ita & filio dedit vitam habere in ſeipſo. Et vt omnes honorent filium, ſicut honorant patrem. Et ſicut pater quos vult viuificat, ſic & filius quos vult viuificat. Neq; generans aliquo priuatur, neq; deeſt quicquam genito. Scio quod ſæpè eadem vobis dixerim. Sed hæc ſæpè dicuntur propter veſtram ſecuritatem, & confirmationem. Neq; genitor habet patrem, neq; genitus fratrem. Neq; generans in filium mutatus eſt, neq; natus, pater factus. Ex vno ſolo patre, vnus vnigenitus filius. Neq; duo ingeniti,

De non ſcriptis vetat eſſe curioſum.

neq; duo vnigeniti, sed vnus est pater ingenitus, qui patrem non habet, & vnus est filius æternus ex patre natus. Non in tempore factus, sed ante secula genitus. Non prosperitate aliqua auctus: sed idem semper qui & nunc.

Credamus igitur in filium dei vnigenitum, qui ex patre natus est, deum verum de deo vero. Verus enim Deus, non generat falsum, sicut dictum est. Neq; deliberans deinceps genuit, sed perpetuò genuit, & verbis cogitationibusq; nostris multò celeriùs genuit. Nos enim in tempore loquentes, tempus consumimus. In diuina autem virtute, sine tempore est generatio. Et sicut sæpè dictum est, non produxit filium ex non esse ad esse, neq; eum qui non erat, in adoptionem adduxit: sed æternus pater, æternum filium ineffabiliter genuit, vnum solum, fratrem nõ habentem. Neq; duo sunt principia, sed caput Christi pater vnum principium: pater enim filium genuit. Genuit deum verum, Emanuel appellatũ, qui interpretatur, nobiscum Deus. Et vis nosse, quòd Deus est ille, qui ex patre genitus, & deinde incarnatus est: audi Prophetam dicentem: Iste deus noster, non reputabitur alius ad illum. Inuenit omnem viam scientiæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israëli dilecto suo: post hæc in terra apparebit, & cum hominibus conuersabitur. Cernis Deum post legislationem Moysis incarnatum? Accipe & aliud testimonium Christi Deitatis, quod modò lectum est: Thronus tuus Deus in seculũ. Vt enim propter carnis hanc præsentiam hîc factam, non existimaretur deinceps, in hanc deitatis dignitatem deuenisse dicit, manifestè: Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lętitie prę consortibus tuis. Vides Christum à patre vnctum Deum? Vis habere & tertium testimonium Christi Deitatis? audi Esaiam dicentem: Laborauit AEgyptus & empòria AEthiopum. Et post pauca: Et tibi supplicabunt, quòd Deus est, & nõ est Deus præter te: Tu enim es Deus & nesciuimus, Deus Israël saluator. Cernis Deum habentem in seipso Deum patrem? modò non, hoc ipsum dicentem, quod est in Euangelijs dictum: Pater in me, & ego in patre. Non dixit: Pater sum ego, sed pater in me. Et rursus non dixit: Vnus sum, sed: Ego & pater vnum sumus: vt neq; abalienemus, neq; contractionem filiopatoriæ fabricemus. Vnum: propter Deitatis dignitatẽ: quoniam Deus genuit Deũ: Vnum propter regnum: Non enim alijs regnat pater, alijs filius: (sicut Absolon, qui aduersabatur patri) sed quibus regnat pater, his & filius regnat. Vnum propterea, quòd nulla sit differentia, aut distantia: Non enim aliæ voluntates patris, & aliæ filij. Vnum propterea, quòd

Generatio sine tempore.

Principium vnum pater.

Filiopatoria, hoc est, patris & filii confusio non facienda.

quòd aliæ sunt gubernationes Christi,& aliæ patris. Vna enim est omnium administratio : patre per filium omnia faciente. Quia ipse dixit,& facta sunt : ipse præcepit , & creata sunt , dicit Psaltes. Dicẽs enim audienti dicit,& pręcipiẽs, pręsenti pręcipit. *Voluntas vna patris & filii*

Deus igitur verus est filius,habens in seipso patrem,non in patrem mutatus. Non pater incarnatus est,sed filius. Dicatur enim liberè veritas. Nõ pater passus est pro nobis: sed pater misit eum, qui pro nobis pateretur. Neq; dicamus: Erat aliquando,quando non erat filius : neq; filiopatoriam concipiamus , sed via regali procedamus . Non declinemus neq; ad dexteram , neq; ad sinistram. Neq; ideo , quòd ita existimemus nos filium honorare, patrem eum nuncupemus: neq; propterea,quòd in hoc patrem nos honorare putemus , creatum quid esse filium suspicemur: sed vnus pater,per vnum filium adoretur,& non diuidatur adoratio. Vnus filius appelletur ante secula , in dextra patris sedens, atq; hanc sessionem non in tempore post passionem ex promotione accipiens,sed ab æterno possidẽs. Qui videt filiũ,videt&patrẽ:similis enim in omnib⁹ filius genitori:vita ex vita genitus,lumẽ de lumine,virtus de virtute,& Deus de Deo. Et nõ differẽtes sunt Deitatis splendores in filio . Et qui dignus habitus est filij deitatem videre , veniet etiam in fruitionem patris . Non meus hic sermo,sed vnigeniti. Tanto tempore vobiscum sum , & non nouisti me Philippe? Qui videt me,videt & patrem meum. Et vt compendiosiùs dicam, neq; separemus , neq; contractionem faciamus . Et ne alienum fortè filium dicas à patre : non recipias eum qui dicat, patrẽ, aliquãdo quidẽ patrẽ, aliquãdo verò filium esse: Aliena enim & impia sunt hæc,& nõ Ecclesiæ dogmata. Sed pater generãs filiũ,mãsit pater,& nõ alteratur. Sapientiã genuit, sed nõ insipiens ipse factus:& virtutẽ generans , ipse nõ est infirmatus . Deũ generans ipse non est aliquo priuatus,neq; diminutus quicquam ipse perdidit, neq; genitus aliquem defectum habet. Perfectus genitor , perfectus genitus . Deus genitor , deus & genitus . Deus quidẽ omnium . Deum verò sibi patrẽ ascribens, non puduit illum dicere : Ascendo ad patrem meum,& ad patrem vestrum:deum meum,& deum vestrum . Sed vt non existimes, eodẽ modo esse filij & creaturarũ patrẽ , distinxit in sequentibus. Non enim dixit: Ascendo ad patrẽ nostrum,ne esset communio creaturarum cum vnigenito:sed ad patrem,inquit,meũ, &ad patrem vestrũ. Aliter meum per naturã,aliter vestrũ per adoptionẽ. Et rursus: Ad Deũ meũ,& ad Deũ vestrũ. Aliter meũ tanquã proprij & vnigeniti filij , & aliter vestrũ, tanquã creaturarũ. *Erat aliquãdo quando non erat ,nõ dicendum.* *Dogmata ab Ecclesia aliena, sunt impia.*

Deus igitur verus est filius Dei, ante omnia secula ineffabiliter genitus. Sæpè autem hoc idem vobis dico, vt menti hoc vestræ imprimatur. Et quòd Deus quidem filium habeat crede, quomodo autem, ne sis curiosus. Quærens enim non inuenies. Non te extollas, ne cadas. Quæ tibi mandata sunt, hæc sola intellige. Dic mihi priùs, quis sit genitor, & tunc genitum cognosces. Si autem naturam genitoris non potes cognoscere, qui modus geniti sit, ne sis curiosus. Sufficit tibi ad pietatem, quemadmodum diximus, scire, quòd vnum solum filium Deus habet: vnum naturâ genitum. Qui non tum esse cœpit, cùm in Bethlehem natus est, sed ante omnia secula. Audi Micheam Prophetam dicentem: Et tu Betthlehem domus Ephrata, nequaquam minima es in millibus Iuda: ex te enim exibit dux, qui regat populum meum Israël, & exitus ipsius ab initio à diebus æternitatis. Non ergo aduertas tantùm, quod natũ est in Bethlehem, sed etiam adora eum, qui ab æterno genitus est ex patre. Non temporaneum principium filij recipe, aliquo id dicente, sed principium sine tempore, patrem esse agnosce. Principium enim filij sine tempore, & incomprehensibile. Sine principio pater, fons fluminis iusticiæ. Vnigeniti pater, qui genuit ipsum, solus ipse nouit. Et vis nosse, quòd æternus est rex & dominus noster IESVS Christus, audi rursus ipsum dicentem: Abraham desiderabat, vt videret diem meum, & vidit, & gauisus est: Deinde cùm id durè Iudæi acciperent, duriùs isto dicit: Priusquàm Abraham esset, ego sum. Et rursus ad patrem dicit: Et nunc glorifica me tu pater apud teipsum, gloria quam habui ante huius mundi cõstitutionem apud te. Manifestè sanè dixit: quòd priusquàm mundus fieret, ego habui apud te gloriam. Et rursus: quòd dilexisti me ante constitutionem mundi: dicit manifestè: quòd æternam apud te habeo gloriam.

Curiositas in diuinis vitanda.

Principium filii pater.

Abraham Christum vidit.

Credamus igitur in vnum dominum nostrũ IESVM Christum, filium Dei vnigenitum, qui ex patre natus est, deum verum ante omnia secula, per quem omnia facta sunt. Siue enim throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum facta sunt, & nihil est creatum extra potestatem illius. Obmutescat omnis hæresis, quæ diuersos factores & mundi constitutores inducit. Obmutescat, quæ Christum filium dei blasphemat. Obmutescãt, qui dicunt, solem esse Christum, solis enim ille opifex est, non est autem sol hic apparens. Obmutescant, qui dicunt hunc mundum, angelorum esse opificium, qui vnigeniti dignitatem abripere volunt. Siue enim visibilia, siue inuisi-

Christi potestas super omnia.

inuisibilia:siue throni, siue dominationes: siue quocunque nomine vocentur,omnia per Christum facta sunt.

Regnat filius super ea,quæ ab illo facta sunt, non alienam rapinam sibi vsurpans, sed suis opificijs dominans: sicut Ioannes Euangelista dixit, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil:Omnia per ipsum facta sunt, patre per filium operante.Ac vellem etiam adferre exemplum aliquod dictorum,sed esse scio imbecillum. Quod enim ex his visibilibus aptum diuinæ virtutis capietur exemplum? sed dicam tamen, tanquàm infirmum,ab infirmo ad infirmos. Quemadmodum enim, si quis rex,regem habens filium, volens constituere ciuitatem, poneret exemplarem, filio secum regnanti, structuram ciuitatis,ille autem exemplum capiens ad finem perducat, quod animo concepit.Ita patre volente omnia extruere, patris nutu filius omnia creauit,vt nutus quidem custodiat patri authẽticam potestatem:filius verò habeat nihilominus potestatem rerum à se factarum.Et neq; pater à dominio creaturarum abalienatur, neque filius,his quæ ab alio facta essent dominatur, sed his quæ ab illo. Non enim angeli,sicut dictum est, mundum hunc fabricarunt: sed filius vnigenitus ante omnia secula genitus,sicut dictum est, per quem omnia facta sunt,nulla re ab illius opificio excepta.

Patris nutu filius omnia facit.

Et hæc quidem huc vsque per Dei gratiam dicta sufficiant. Recurrẽtes verò in fidei confessionem, nunc concludemus sermonem.Omnia fecit Christus, siue angelos, siue dominationes dicas,siue archangelos, siue thronos.Non quòd pater destituatur in creaturarum gubernatione,sed quòd regnare voluit filiũ, in his, quæ ab illo facta sunt, ipse exhibens illi rerum creatarum administrationem. Honorat enim, inquit, vnigenitus patrem suum . Non potest filius quicquam facere à semetipso,nisi viderit patrem facientem. Quæ enim ille facit, hæc & filius similiter facit. Et rursus: Pater meus vsque modò operatur,& ego operor . Neque tamen vlla est in rebus operatis contrarietas. Mea enim tua sunt, & tua mea, inquit, in Euangelijs dominus. Quod quidẽ apertè cognoscere licet,tam ex veteri, quã ex nouo testamẽto. Qui enim dicit: Faciamus hominẽ ad imaginẽ nostrã, & ad similitudinẽ, omninò ad aliquem præsentem dicit. Manifestissimè autem omnium Psaltes dixit: Ipse enim dixit,& facta sunt,ipse mandauit & creata sunt. Itaque patre mandante & dicente,filius nutu illius omnia fecit. Quod etiam Iob mysticè dixit: Qui extendet cœlum solus,& ambulat super mari,tanquàm super solo.Palàm est considerantibus,quod qui cùm hîc præsens esset,

Christus omnia fecit.

Patre mandante filius omnia fecit.

esset, ambulauit super mari, is erat qui ante hos cœlos factus est. Et rursus: Dominus, inquit, accipiens pugillum terræ, creauit animal, & cætera. Aperientur autem tibi portæ mortis. Manifestum, quòd qui propter suam benignitatem in infernum descenderat, hic ab initio ex luto fecit hominem.

Est igitur Christus filius Dei vnigenitus, & mundi factor. In mundo erat, & mundus per eum factus est. Et in propria venit: sicut nos docet Euangelium. Non solùm autem visibilium, sed etiam inuisibilium, nutu patris creator est Christus. In ipso enim creata sunt omnia secundum apostolum: & ea quæ sunt in cœlis, & quæ super terram, & visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnia, & omnia in ipso constituta sunt, etiam ipsa secula: horum omnium volũtate patris IESVS est dominus. Nouissimis enim his diebus locutus est nobis in filio, quem posuit hæredem omnium, per quẽ & secula fecit. Cui gloria, honor & potentia, in sancto spiritu, vbique nunc, & semper in omnia secula seculorum, Amen.

CATECHESIS DVODECIMA ILLVMINATORVM Hierosolymis, ex tempore dictata: De incarnato, & inhumanato Christo. Et lectio ex Esaia: Et adiecit dominus loqui ad Achab dicens: Pete tibi signum à domino Deo tuo, &c. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel.

CAstitatis alumni, & discipuli temperantiæ, natum ex virgine Deum castitatis, plenis labijs celebremus, & spiritalis ouis corpus sumere digni effecti, caput simul cum pedibus sumamus. Caput autem deitatem intelligẽtes & pedes, humanitatem accipientes sanctorum Euangeliorum auditores, Ioanni Theologo credamus. Qui enim dixit: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, idem subiecit, dicens: Et verbum caro factum est. Neque enim simplicem hominem adorare sanctum est, neque DEVM tantùm esse illum dicere, pium. Si enim Deus Christus, quemadmodum est, non assumpsit autem humanitatem, alieni sumus à salute. Adoretur itaque vt Deus: credatur autem quòd humanitatem assumpsit. Neque enim hominem dicere absq; deitate, vtile est, neque deitatem confiteri absque humanitate salutare. Confiteamur regis & medici præsentiam. Rex enim IESVS, homines curaturus lintheo humanitatis præcinctus, curauit morbum. Perfectus in

Ioannes Euãgelista Theologus vocabatur.

fantium

fantium magiſter. Paruulus factus eſt paruulis, vt erudiret imprudentes. Cœleſtis panis venit ſuper terram, vt alat eſurientes: Iudęorum autem liberi venientem reiecerunt: malè autem venturum expectant. Verum Chriſtum negauerunt: falſum autem ipſi errantes recipient. Qua de re etiam ſaluator verè dixit: Ego veni in nomine patris mei, & non recipitis me: ſi autem alius venerit in proprio nomine, illum recipietis.

Iudæi falſum Chriſtum recepturi.

Bonum autem eſt, quæſtionem Iudæis proponere: verús ne eſt Eſaias propheta, qui dicit, quòd de virgine naſcetur Emanuel, an falſus? Si enim illum falſi arguunt, nihil mirum: mos enim eſt illis non modò falſi arguere, verùmetiam lapidare prophetas. Si verò verus eſt propheta, monſtrate Emanuelem: & vtrùm is qui à vobis expectatur venturus, de virgine naſcetur an non? Si enim de virgine non naſcetur, prophetam arguitis falſi: ſin autem id in futuro expectatis, cur id quod iam factum eſt, reprehenditis? Ac Iudæi quidem errant, ſi quidem ita volunt: Eccleſia autem Dei vera glorificetur. Et nos recipiamus verbum incarnatum verè, non ex voluntate viri & mulieris, vt hæretici dicunt: ſed ex virgine & ſpiritu ſancto, ſecundum Euangelium incarnatum, non in apparentia, ſed in veritate.

Et quòd ex virgine verè humanitatem aſſumpſit, ſecundum Euangelium, non in phantaſmate, ſed verè de virgine homo factus. Expecta tempus doctrinæ, & habebis probationem: ſinuoſus enim eſt hæreticorum error, atq; hi quidem nequaquam ipſum de virgine natum dixerunt. Alij verò natum nõ ex virgine, ſed ex muliere, cum viro habitante. Alij autem dicũt, nõ Deum (vt ita dicam) inhumanatum, ſed hominem quendam deificatum. Auſi ſunt enim dicere: quòd non verbum illud ab initio præexiſtens incarnatum eſſet, ſed homo quidam proficiens, hic eſt coronatus. Tu verò memineris eorum, quæ nuper de Deitate dicta ſunt. Crede quod ille ipſe vnigenitus Dei filius, eſt de virgine tantùm natus. Ioanni apoſtolo crede dicenti: Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Verbum enim æternum ante omnia ſecula genitũ: corpus autẽ recens propter nos aſſumpſit.

Hæreticorũ error varius de incarnatione Chriſti.

Sed contradicunt multi, atq; inquiunt: Quæ tanta fuit cauſa, vt Deus in humanitatem ſeſe demitteret? Et, Quomodo Dei naturæ poſsibile eſt, cum hominibus verſari? &: ſi poſsibile eſt virginem parere ſine viro? Cùm autem multæ ſint eiuſcemodi contradictiones, & diuerſimodi pugnæ, age per Dei gratiam, & per orationes præſentium, ſingula diſſoluemus. Ac primum quidem quæratur: Qua de cauſa deſcenderit IESVS. In quo non

meis commentis attende: posses enim fortè decipi, sed nisi prophetarum de singulis acceperis testimonia, ne credas assertionibus. Nisi & de virgine, & de loco, & de tempore, & de modo didiceris ex scripturis diuinis, non recipias ab homine testimoniũ. Qui enim nunc adest, & docet, suspectus vel dubius esse potest: qui autem ante mille & amplius annos prophetauit, quis mentis compos suspectum illum habuerit? Si igitur Christi aduentus causam queris, recurre ad primum scripturarum librum. Sex diebus Deus creauit mundum, sed mundus propter hominem. Sol quidem splendidus, radijsq; relucens: sed & hic propterea vt homo videat, factus est: Et omnia animantia, vt nobis seruiant, constituta sunt: herbæ & arbores in vsum nostrum creatæ. Omnia quidem bona opificia, sed nullum imago Dei: solus tantùm homo. Sol mãdato tantùm, homo verò manibus diuinis formatus est. Faciamus hominem ad imaginem nostram, & ad similitudinem. Imago lignea terreni Regis honoratur: quantò magis rationalis imago Dei: Sed hanc maximam creaturarum in paradiso habitantem, inuidia diaboli inde eiecit. Insultabat inimicus cadenti quem oderat: nunquid vellet inimicum manere gaudentem? Hic non audens propter robur virile accedere ad virum, tanquàm ad firmiorem, accessit ad mulierem, adhuc virginem: nam post casum in paradiso, tunc primùm cognouit Euam mulierem suam. *Secundi successores humani generis Cain & Abel. Cain primus homicida erat. Diluuium posteà effusum est propter multam hominum prauitatem. Ignis de cœlo descendit, propter Sodomitarum iniquitatem. Electus est post nonnulla tempora à Deo Israël: sed ex hoc genus electum dispersum, & vulneratum est. Moyses enim cùm in monte Deo assisteret, vitulum populus pro Deo adorabat. Cùm legislator Moyses legem tulisset, Non mœchaberis: vir in lupanar ingressus, lasciuire ausus est. Mittebantur prophetæ post Moysen curare Israëlem: sed curando medici debilitati sunt, non ferentes morbos, sicut quidam ex illis dicit: Hei mihi, quia perijt pius de terra, & rectè faciens non est inter homines. Et rursus: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum. Et rursus: Vt quid periurium, furtũ, fraus, adulteriũ, & homicidiũ effusa sũt super terra? Filios suos, & filias sacrificauerunt dæmonijs: augurijs, veneficijs, vaticinijs studebant. Et rursus: Vestimenta ligantes, velum faciebant prope altare. Maximũ erat vulnus humanitatis à pedibus vsque ad caput, nõ erat in illo integritas, neq; fomẽtũ apponebatur, neq; oleũ, neq; vinculũ.

Mundus propter hominẽ factus.

Imago Dei honoranda.

Eua virgo decepta.

**Primi*

Deinde

Deinde deplorantes & dolentes Prophetæ dicebant: Quis dabit ex Sion ſalutare Iſraël? Et rurſus: Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, & ſuper filium hominis, quem confirmaſti tibi: & non deficiamus à te. Et alius propheta orat dicens: Domine, inclina cœlos, & deſcende, ſubueni noſtræ medicinæ, & humanitatis vulneribus. Prophetas tuos occiderunt, altaria tua diſſipauerunt, inſanabile noſtrum malum, te indiget curatore. Exaudiuit hanc prophetarum orationem dominus, nõ deſpexit humanum genus perditum, miſit de cœlis dominum & medicum, filium ſuum: vt dicit quidam propheta: Dominus quem vos quæritis veniet: & repentè veniet aliquando in templum ſuum dominus, vbi eum lapidaſtis. Deinde audiens id alius propheta, dicit ad ipſum: Dei ſalutem loquens, quietè loqueris: Dei ſalutem Euangelizans, in occulto loqueris? Super montem excelſum aſcende, qui Euangelizas Sion: Dicens ciuitatibus Iuda, quid dicam: Ecce Deus noſter, ecce dominus in fortitudine veniet. Ipſe rurſus dicit: Ecce ego veniam, & requieſcam in te, dicit dominus, & confugient gentes multæ ad dominum. Iſraëlitę ſalutem, quę facta eſt per me, reiecerunt: veniam omnes gentes congregare, & relinquam ſuper illos ſignum. Ex meo enim certamine, quod habui in cruce, ſigillum regale cuilibet meorum militum dabo, vt ferat in fronte. Et alius propheta dixit: Et inclinauit cœlos, & deſcendit, & caligo ſub pedibus eius. Ignorabatur deſcenſus de cœlo. Deinde Solomon audiens patrem ſuum Dauid hæc dicentem, admirandam domum ædificauit, & proſpiciens venturum in eam, admirans dicit: ſi verè habitabit dominus cum hominibus in terra? Certè, inquit Dauid in Pſalmo de Solomone inſcripto, in quo eſt: Sicut pluuia in vellus deſcendet: Pluuia quidem dicitur, propter ſupercœleſte: ſuper vellus autẽ, propter humanitatẽ. Pluuia enim ſuper vellus deſcendens, ſine ſtrepitu deſcendit, ita vt ignorato myſterio generatiõis ſecundũ Magos diceret: Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorũ? Et ſecundũ Herodẽ perturbatũ quæreret de nato, atq; diceret: vbi Chriſtus naſcetur? Quis eſt hic deſcendens (inquit deinde) & habitat cum ſole, & ante lunam generatio eius. Et rurſus alius ex prophetis dicit: Gaude multũ filia Sion: prædica filia Hieruſalẽ. Ecce rex tuus venit tibi iuſtus, & ſaluans. Multi ſunt reges, de quo igitur hic dicit propheta? da nobis ſignum, quod alij reges non habeant. Si enim dixeris purpuratum regẽ, præoccupata eſt huiuſmodi dignitas: Si dixeris à militibus ſtipatum, in curribus auratis ſedentem, hoc etiam ab alijs eſt præoccupatum. Da nobis ſignum proprium Regis,

Prædictiones venturi ſalua toris.

Messiæ proprium signũ.

cuius regnum annuncias? Propheta autem respondit,& dicit: Ecce rex tuus venit tibi iustus, & saluator ipse pauper, & ascendens super asinam, & pullum filium asinæ,non in curribus. Et dispergam quadrigas eius:habes singulare signum adfuturi regis.Solus regum IESVS,super pullo asini sedit, & solenniter cum benedictionibus, tanquàm rex in Hierusalem ingressus est. Quid autem facit rex iste veniens?Tu quoq; in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, vbi non est aqua. Ac fieri quidem potest, super asini pullo sedere aliquem. Da autem nobis signum potiùs,vbi consistet ingrediens hic rex:hoc autem signum non procul des à ciuitate, ne ignoremus:sed propè da nobis signum,quod possimus hisce oculis conspicere:vt etiam cùm sumus in ciuitate,possimus hoc signum videre.Propheta autem rursus respondet,dicens:Et stabunt pedes illius in die illa, super montem oliuarum, qui est contra Hierusalem ad orientem.Nũquid aliquis etiam stans intus in ciuitate non considerat locum?

Habemus duo signa, sed tertium cupimus discere. Dic quid faciat adueniens dominus? Dicit alius propheta: Ecce Deus noster,& deinceps.Ipse veniet & saluabit nos:tunc aperientur oculi cæcorum,& aures surdorum patebunt: tunc saliet claudus,sicut ceruus,& balbus planè libereq; loquetur. Dicatur autem & aliud testimonium. Dominum venturum dicis,ô propheta, signa,qualia nũquàm fuerunt facientem: Quale signum aliud manifestum dicis? Ipse dominus in Iudicium veniet cum senioribus populi,& cum principibus eius. Signum excellens: Dominus à seruis senioribus iudicandus & passurus. Hæc legentes Iudæi,nõ audiunt:Obturauerunt aures cordis,vt non audiant.Sed nos credamus in IESVM Christum incarnatum, & inhumanatum: quandoquidem secùs non capimus eum. Cùm enim nos ita vt ille erat perspicere, aut frui illo non potuimus, factus est ille sicut & nos, vt sic illo perfrui possemus. Si enim solem, qui die quarto factus est,perfectè intueri nequimus:quomodo illius factorem videre poterimus? In igne descendit dominus supra montem Sina,& ferre non potuit populus,sed dixit ad Moysen: Loquere tu nobis,& audiemus:&non loquatur ad nos Deus,ne fortè moriamur.Et rursus:Quid est omnis caro,vel,quis audiuit vocem Dei viuentis,loquentis de medio ignis, & viuet?Si audire vocem Dei viuentis, mortis est causa, visio autem illius quomodo nõ erit mortis causa? Quid miraris? Moyses ipse dixit: Exterritus sum & tremebundus. Quid igitur velles venientem ad salutem, exhibitorem fieri perditionis, propterea, quòd illum

Incarnatus est Deus, vt eo perfrui possemus.

homines

homines non possent ferre? an potius vt commensuraretur eius gratia & gloria? Daniel non ferebat visionẽ angeli, & tu angelorũ domini visionẽ sustinebis? Gabriel apparuit, & cecidit Daniel: & qualis erat ille, qui apparebat, aut quę illius forma? Facies, inquit, illius erat sicut fulgur: nõ sicut sol: & oculi ipsius sicut lãpades ignis: & nõ sicut igneus fornax: Et vox sermonum eius, sicut vox multitudinis: nõ tanq̃ duodecim legionũ angelorũ. Et tamẽ cecidit propheta: & accessit angelus: Ne timeas, inquit, Daniel, & surge. Bono sis animo, exaudita sunt verba tua. Et dicit Daniel: Surrexi tremẽs. Et neq; sic respõdit, donec tetigit ipsum similitudo manꝰ hoĩs: & quãdo mutatꝰ est in similitudinẽ hominis ille, qui apparuerat: Tunc dixit Daniel: Et quid, inquit, Domine in visione tua: dissolutæ sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium, sed & halitus meus intercluditur. Si Angelus apparens abstulit vocem prophetæ & vires: Deúm ne videndo retineres spiritum? Et donec, dicit, scriptura tetigit me tanquàm manus hominis, non potuit recreari Daniel. Experientia igitur nostræ infirmitatis ostensa, recepit hoc dominus, quod homo requirit. Cùm enim in simili persona vult se alloqui homo, assumpsit illi simile saluator, vt faciliùs erudirentur homines.

Angeli visio homini intolerabilis.

Accipe autem & aliam causam: Venit Christus vt baptizaretur, & sanctificaret baptisma: venit vt miracula operaretur, ambulans super aquas maris: quoniam ante carnis assumptionem Mare vidit illum, & fugit. Iordanus est conuersus retrorsum: Assumpsit corpus dominꝰ, vt Mare vidẽs sustineret, & Iordanus sine timore illũ susciperet: atq; hæc quidẽ vna causa. Est autẽ & altera. Per virginẽ Euam venit mors, operæpretiũ erat de virgine apparere vitã: vt sicut illã serpẽs decepit, ita hãc Gabriel annũciaret. Relinquentes homines Deũ, fabricauerũt idola. Deo itaq; in humana figura falsò adorato, Deus verè homo factus est, vt solueretur falsũ. Carnis instrumẽto cõtra nos diabolus vsus est. Et hoc cognoscẽs Paulus dicebat: Video aliã legẽ in mẽbris meis, repugnantem legi mẽtis meę, &c. Quibus armis diabolus nos oppugnabat, per eadẽ saluati sumus. Assumpsit simile nobis corpus, vt deficiẽti maiorẽ cõferret gratiam, vt peccatrix humanitas Dei fieret particeps. Vbi enim abũdauit peccatũ, ibi superabundauit gratia. Oportuit pati pro nobis dominum, sed non auderet accedere diabolus, si hoc sciret. Si enim sciuissent, nequaquam dominum gloriæ crucifixissent. Esca igitur mortis, factum est corpus, vt cum speraret se deuoraturum Draco, euomeret etiam illos, quos iã deuorauerat: Deuorabat enim mors prævalẽs. Et rursus:

Mors & vita per virginẽ.

Corpus esca mortis.

Abstulit Deus omnem lachrymam ab omni facie. Nunquid frustrà Christus incarnatus est? nunquid hęc commenta sunt, & sophismata humana? Nunquid diuinæ scripturæ nobis non sunt salus? nunquid non prophetarum proloquia? Custodi igitur depositum hoc stabile, & nemo te commoueat. Crede Deum hominem factum.

Ac demonstratum quidem est, quòd illum incarnari erat possibile, si tamen nihilominus non credunt Iudæi: quæramus ex illis, quid in his noui, & inusitati annũciamus: Quid extraneum annunciamus, cùm Deum incarnatum dicimus? cùm vos dicatis, quòd Abraham Deum exceperat hospitio. Quid inusitatum prędicamus? cùm Iacob dicat: Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Qui apud Abraham manducabat dominus, idem & apud nos comedebat. Quid igitur inusitati prædicamus? Sed duos testes exhibeamus eos, qui in monte Sina domino assistebant. Moses erat in foramine petræ, & Helias in ostio speluncæ. olim illi transfigurato præsentes facti in monte Thabor, dicebãt discipulis excessum eius, quem completurus erat in Hierusalem. Sed quod quidem possibile erat incarnari demonstratum est, sicut prædixi: relinquantur autem quæ restant demõstrationes ad colligendum studiosis.

Dominus qui apud Abraham, idẽ apud nos mãducabat.

Cæterùm proposueramus dicere & tempus aduentus saluatoris, & locum: ne itaq; falsi nos argui patiamur, imò potiùs, vt eos qui recèns in Ecclesiam venêre, firmiores remittamus: inquiramus tempus, quo Christus aduenerat: quandoquidem recens est illius præsentia, cui contradicitur: quamuis Christus IESVS sit & heri & hodie, sit etiam in secula seculorum. Moyses igitur propheta dicit: Prophetam vobis susciabit dominus Deus ex fratribus vestris sicut me. Reseruetur intereà id, quod dicit: Sicut me: quod est in alijs locis declarandũ. Sed quando propheta hic veniet tandiu expectatus? Recurre, inquit, ad ea quæ à me scripta sunt. Perquire diligenter Iacob prophetiam, Iudæ dictam: Iuda te laudabunt fratres tui &c. ne omnia recitemus. Non deficiet Princeps ex Iuda, neq; dux de femoribus eius, donec veniat, qui mittendus est: & ipse erit expectatio, non Iudæorum, sed gentium. Signum igitur dedit Christi aduentus, cùm desineret principatus Iudæorum, qui si nunc sub Romanis non sunt, nondum venit Christus. Si habent principem ex genere Iuda, & Dauid, nondum venit ille expectatus. Vereor enim obijcere illis recentia, de his quæ nunc apud illos vocantur patriarcharum instituta: Et quod illorum genus, & quę mater. Relinquo autem

Christi aduẽtus tempus.

ista

ista scientibus. Sed ipse veniens erit expectatio gentium, qualis nunquid etiam aliud signum habebit? Dicit deinceps: Ligans ad vineam pullum suum. Cernis pullum illum ab Zacharia manifestè promissum? Sed rursus quæris & aliud temporis testimonium: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodiè genui te. Reges eos in virga ferrea. Dic autem mihi: vtrùm non apertè vocatur virga ferrea, Romanorum Imperiũ. De quo reliquum ex Daniele commemoremus. Enàrrans enim, & declarans Nabuchodonosori imaginem illius statuæ, & reliqua omnia, quæ sunt circa illam visionem: Lapidem sine manibus de monte excisum, & non humana opera consistentem, dominaturum vniuerso orbi. Et hæc apertissimè dicit. Et in diebus regnorum illorum, excitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum illius populo alteri non tradetur. Sed clariùs adhuc quæramus aduentus illius temporis demonstrationem. Infidelis enim homo, nisi & annos ad calculum enumeratos accipiat, dictis non credit.

Romanum Imperium virga ferrea

Quod igitur tempus, & quod seculum est, quando deficientibus ex Iuda regibus, deinceps alienigena erat rex Herodes. Dicit igitur ad Danielem loquens angelus: Tu ergo nota sermonem, & scito, & animaduerte ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Hierusalem vsq; ad Christum ducem, hebdomadæ septem, & hebdomadæ sexaginta duæ. Sexaginta igitur, & nouem hebdomadæ annorum, constituunt quadringentos octoginta tres annos. Dixit igitur, quòd post ædificationem Hierusalem, quadringentis octoginta tribus annis peractis: Tunc veniet quidam alienigena rex, cuius tempore nascetur Christus. Darius igitur Mœdus ædificauit Ierusalem octauo regni suo anno, primo autem anno, secundum Græcos, sexagesimæ sextæ olympiadis. Olympias autem apud Græcos vocatur, quòd singulo quadriennio peracto fieri solet certamen, propter quatuor annorum cursum Solis, in quibus singulis annis tres horas adijciens, diem quarto anno addit. Herodes autẽ regnabat centesima octogesima sexta Olympiade, quarto eiusdem anno. A sexagesima ergo, & sexta, vsq; ad centesimam octogesimam sextam, interceserũt centum viginti olympiades, & paulò ampliùs. Congregantur igitur centum viginti olympiadum anni, quadringenti octoginta, præter annos tres qui desunt, fortassis ex eo, quod inter tertium & quartum assumitur. Et habes iam hinc demonstrationem secundum scripturam, quæ dicit: ab exitu sermonis, cùm edictum erit, vt iterum ædificetur Hierusalem, vsque ad Christum ducem hebdomades

Temporis aduentus Christi supputatio.

domades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duo. Temporum itaque hucusq; habes hanc demonſtrationem, quamuis non deſint aliæ diuerſæ, de prædictis Danielis Hebdomadis annorum interpretationes. Promittit autem & ipſe hoc: Et tu Bethlehem domus Ephratha, nequaquam minimus es in millibus Iuda: ex te enim mihi exibit dux, qui ſit dominator in Iſraël, & exitus illius ab initio, à diebus ſeculi. De locis autem, Hieroſolymitanus cũ ſis, & ea occupas noſti: & in cẽteſimo trigeſimo primo Pſalmo ſcriptum eſt: Ecce audiuimus eam in Ephratha, inuenimus eam in campis ſyluæ: Ante paucos enim annos, ſylueſtris erat locus. Audiſti rurſus Abakuk dicentem ad dominum: Cùm appropinquabunt gentes, agnoſcetur. Et quod ſignum eſt ô propheta venturi domini. Ille autem dicit deinde: In medio duorũ animalium cognoſcetur, hoc ad dominum dicẽs manifeſtè, quia veniens in carne viues, & morieris, & reſurgens à mortuis viues rurſus. Et ex qua parte Hieroſolymæ veniet? ex oriente vel occidente, à ſeptentrione vel meridie? dic mihi accuratè. Ille autem apertiſsimè reſpõdet, & inquit: Deus à Theman veniet. Theman autẽ interpretatur auſter. Et ſanctus de mõte Pharan, ab vmbra opaca. Cui conſonum dixit Pſalmus: Inueniemus ipſam in campis ſyluæ.

Locus aduentus Chriſti.

Deinde quęramus ex quo veniet, & quomodo veniet. Hoc autẽ nobis dicit Eſaias: Ecce virgo cõcipiet & pariet filiũ, & vocabitur nomẽ eius Emanuel. Et cõtradicũt his Iudęi: mos enim eſt illis antiquus, veritati malè refragari. Et dicũt: Nõ eſt ſcriptũ virgo, ſed iuuẽcula. Ego dicẽti hoc etiam cõcedẽs, nihilominus reperiã veritatem. Quęram enim ex illis. Virgo cum violatur, quando clamare ſolet, poſt corruptionem, vel ante corruptionem, vocãs auxiliatores? Si igitur alibi dicit ſcriptura: Clamauit iuuencula, & non erat qui auxiliaretur ei, nunquid hic non de virgine dicit? Vt autem manifeſtiùs diſcas, quòd virgo in diuina ſcriptura, iuuencula vocatur, audi librum Regum de Abiſag Sunamitide dicente: Et iuuencula pulchra valde. Quod autem virginem illam elegerint, vt ad Dauid adducerẽt, in confeſſo eſt. Sed dicunt rurſus Iudæi: De Eſechia hoc dictum eſt ad Achas. Igitur legamus ſcripturam: Pete tibi ſignum à domino Deo tuo, in profundum aut in altum. Atqui ſignum maximè paradoxum eſſe debet. Signũ enim erat, aqua de petra, diſruptio maris, ſolis retroceſsio, & alia eiuſcemodi. Quæ autẽ dicenda ſunt, manifeſtiorem habent aduerſus Iudæos redargutionẽ. Scio multa me dicente defatigatos eſſe auditores, ſed perferte copiã ſermonis: quãdoquidem non de rebus fortuitis, ſed propter Chriſtũ hæc mouentur.

Deut: 22.

Virgo & iuuencula idẽ in ſcripturis

3 Reg: 1

Signum paradoxum eſſe debet.

Regnante

Regnante itaq; Achab, Isaias dicit: Cùm sedecim annis Achas regnaret solùm: & his annis ista prophetia ad illum dicta, redarguit Iudæorum contradictionem. Succedens enim rex Esechias filius Achas, cùm regnaret erat annorum viginti quinque. Prophetia namq; in sex, & decem annis comprehensa: nouem annis ante hanc prophetiam natus erat Esechias: Quid igitur de eo, qui iam natus fuerat, dicere prophetiam fuit necesse? Non enim dixit quòd concepit, sed quòd virgo concipiet, præuidendo futurum dixit. Ac quod quidem de virgine manifestè dictum est. Ex quo autem genere erat virgo, ostendendum est: Iurauit dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eam, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam: Et rursus: Et ponam in seculum seculi semẽ eius, & sedem eius sicut dies cœli. Et deinde semel iuraui in Christo meo, si Dauid mentiar, semen eius in seculum manet, & sedes eius sicut sol coram me, & sicut luna in seculum fundata. Vides quòd de Christo, & non de Solomone sermo hic est. Neque enim sedes eius sicut sol permansit. Quòd si quis contradicat, eò quòd Christus super lignea Dauidis sede non sederit, proferamus illi aliam similem phrasim. Super Cathedra Moysi sederunt Scribę, & Pharisæi. Non hîc ligneã Cathedram, sed doctrinæ significat potestatem: sic & sedem Dauid ne quæras, non modò illam ligneam, sed ne regnum ipsum. Cuius rei testes accipe etiam pueros clamantes: Osanna domui Dauid: benedictus rex. Et cæci dicunt: Fili Dauid miserere nobis. Et Gabriel apertè testatur, ad Mariam dicens: Et dabit illi dominus Deus sedem Dauid patris eius. Et Paulus dicit: Memineris IESVM Christum excitatum à mortuis de semine Dauid, secundum Euangelium meum. Et in principio Epistolæ ad Romanos dicit: Qui factus est de semine Dauid, secundum carnem. Recipe ergo eum, qui ex Dauid natus est, credens prophetiæ dicenti: Et erit in die illa radix Iesse, & consurgens reget gentes: in ipso gentes sperabunt. Sed Iudæi propter hæc vehementer contendũt, & ad ignem etiã prouocant. Præuidit & hoc Isaias dicens: Quia puer natus est nobis: non enim illis: Et filius datus est nobis. Per quod etiam indicatur, quòd priùs filius Dei erat, deinde datus est nobis. Et post pauca dicit: Et pacis eius non erit terminus. Fines Persarum, & Mœdorum sunt. Filij autem huius nõ est finis. Deinde sequitur super sedem Dauid, & super regnum eius. Ex Dauid processit virgo sancta.

Cathedra Moysi, doctrinæ potestas.

Filius datus est nobis.

Decebat sanè purissimum puritatis doctorem, expuris prodire thalamis. Si enim qui apud IESVM benè fungitur sacer-

Sacerdotio Christi benè fungens, abstinet à muliere.

dotio, abstinet à muliere: ipse IESVS quomodo ex viro & muliere proditurus esset? Quia tu, inquit Psalmus, extraxisti me de ventre: significans illum sine viro, de virginis vtero & carne extractum, & natum esse. Eorum enim, qui lege nuptiali nascũtur, alius est modus. Nõ reueretur autem ex membris eiusmodi assumere carnem, qui est ipse membrorum creator. Sed quis tandem nobis hoc dicit. Ad Hieremiam loquitur dominus: Priusquàm formarẽ te in vtero, noui te: & antequam exires ex vtero, sanctificaui te. Qui igitur in creandis hominibus attingit membra, & non reueretur, nunquid in creanda sancta carne, & velamento illo deitatis, propter seipsum reuerebitur? Deus est, qui in ventre etiam nunc fabricat infantes, sicut Iob scripsit: Nónne sicut lac mulsisti me, & coagulasti me sicut caseum: cuti & carnibus me induisti, & ossibus, neruisque me compegisti. Nihil est abominabile in humana cõstitutiõe, si nõ adulterijs & lasciuijs polluatur. Qui creauit Adã, creauit & Euam diuinis manib⁹: Masculꝰ & fœmina creati sunt. Nullum ex his quæ sunt in corpore membris, turpe ab initio creatum est. Obmutescant hæretici omnes, qui accusant corpora, imò potiùs ipsum creatorem. Nos autem commemoremus dictum Pauli: Nescitis quòd corpora vestra templa sunt spiritus sancti? Et rursus quod propheta prædixit ex persona IESV: Caro mea ex ipsis. Et alibi scriptum est: Propter hoc dabit ipsis vsq; ad tempus parturientis. Et quod signum: deinceps, dicit, pariet, & reliqui fratrum eius conuertentur. Et quæ sunt desponsiones virginis sanctæ sponsæ? Et desponsabo te mihi ipsi in fide: Et Elizabet loquens ad illam, similiter dicit: Beata es quæ credidisti: quia perficientur ea, quæ locutus est dominus.

Membrum corporis nullum turpe.

Virginem pàrere non est impossibile.

Sed conuincere nos studeant tam Græci, quàm Iudæi, & dicũt, quòd erat impossibile, Christum de virgine nasci. Græcis igitur primùm ex ipsorum met fabulis os obstruamus. Qui enim dicitis proiectos lapides in homines mutari, quomodo virginem párere posse negatis? Qui ex Iouis cerebro natã filiam fabulamini, quomodo ex vtero virginali nasci aliquem, impossibile dicitis esse? Qui de femore vestri Iouis prognatum falsò esse dicitis Bacchum, cur nostram veritatem reijcitis? Scio me indigna præsenti auscultatiõe dicere: sed vt opportunè tu Græcos redarguas, hæc attulimus, ex ipsorum fabulis ad eos dicentes. Illis verò, qui sunt de circumcisione sic occurrens, perquire. Vtrùm est difficilius, senem & sterilẽ, muliebribus iam deficientibus párere: aut virginem iuuenem generare? Sterilis erat Sarra, & deficientibus iam mulierbribus, præter naturã peperit. Igitur cùm & sterilem,

& vir-

& virginem párere, ſit præter naturam: aut vtrunque nega, aut vtrunq; concede. Idem enim Deus vtrunq; operatus eſt: neque enim audebis dicere, quòd illic quidē poſsibile, hîc autē impoſsibile eſt Deo. Et rurſus, quæ natura manū hoīs vna hora in diuerſas ſpecies mutare poteſt, & rurſus reſtituere. Quomodo igitur Moyſis manus ſicut nix alba apparuit, & rurſus ſtatī albedine illa deſtituta eſt? Sed dices, quia Deꝰ voluit, mutata eſt. Illic Deꝰ volēs poteſt: hîc autem, nunquid non poteſt? Ac illud quidem ſignum ad AEgyptios tantùm, hoc autem datum erat ſignum vniuerſo orbi. O Iudæi, vtrùm autem difficilius eſt, virginem párere, aut virgam in animal mutari. Confitemini quòd tempore Moyſis rectiſsima virga, ſerpentina ſpecie facta eſt, & horrēda fuit, etiam proijcienti illam. Et qui anteà tenebat virgam, paulò pòſt fugebat illam, tanquàm draconem. Reuerà enim draco erat: fugiebat autem, non metuens id quod tenuit, ſed timens mutatum. Dentes habuit virga, & draconis oculos: De virga itaq; oculi pullularunt, & de vtero virginis puer non naſcetur Deo volente? Taceo hîc quod & virga Aaron, quod reliquæ arbores per annos plures faciunt, hoc per vnam noctem fecit? Quis enim neſcit, quòd virga cortice deſtituta, etiam ſi in medijs fluminibus plantetur, nunquàm florebit. Sed cùm Deus non naturam arborum ſequatur, verùm naturę eſt factor: etiam infructuoſa, ſiccaq; virga, & ſine cortice efflоruit, & nucum fructum protulit. Qui igitur virgę, propter typicum ſummum ſacerdotem, præter naturam fructum tulit: nunquid virgini, vt verum ſacerdotem ſummum páreret, hoc non conferret? Bonæ ſunt eiuſmodi ſermonū commemorationes: ſed nihilominus contradicunt Iudæi, neq; his quæ de virga protulimus perſuaderi ſibi patiuntur: niſi ſimilibus, & paradoxis, ac præter naturam perſuadeantur partubus. Quæro igitur ſic ab illis: Eua ab initio de quo nata eſt? quę mater conceperat illam, quæ matrem non habuit. Dicit enim ſcriptura, quòd de latere facta eſt Adami. Nunquid igitur Eua quidem de latere viri, ſine matre naſcitur: de virginali autem vtero ſine viro, nihil naſcetur? Mutuata eſt à viris fœmineo generi gratia. Eua enim ex viro nata eſt, & non ex matre concepta, ſed ex ſolo viro tanquàm partu edita. Reddidit igitur Maria gratiæ huius mutuum officium, & non ex viro, ſed ex ipſa ſola impollutè, ex ſpiritu ſancto, virtuteq; Dei peperit.

Eua ſine matre.

Chriſtus ſine patre carnis.

Accipiamus porrò aliud longè maius. Ex corporibus enim corpora gigni quamuis ſit aliquando paradoxon, ſed poſsibile tamen. Sed puluerem terræ hominem fieri, hoc multò mirabilius:

lutum confusum,oculorum tunicas,& splendores accipere,hoc longè mirabilius. Ex vnius formæ puluere,& ossium robur, & pulmonis leuitatem, & reliquorum diuersitatem membrorum fieri,hoc admirabile.Lutum animatū circuire terram,&seipsum moueri,& ędificare,hoc admirandum? Lutum docere, & loqui, & párere,& regnare,hoc admirandum? Itaq; ô indoctissimi Iudæi,vnde Adam factus est?Nónne Deus accepit puluerem de terra,& creauit creaturam hanc admirandam? Quid igitur lutum quidem in oculum mutatur,&virgo non generabit? Quod apud homines maximè est impossibile, nūquid Deus prędstare non poterit?Horum meminerimus fratres,instrumentis istis auxiliatorijs vtentes:Non feramus hęreticos,qui per imaginationem tantùm,Christi aduentum esse docent. Despiciamus & eos,qui ex viro & muliere, generationem eius esse asserunt, audentq; dicere,ex Ioseph & Maria Christum esse:eò quòd scriptum est,Et accipe mulierem suam.Meminimus enim & Iacob,qui priusquàm Rachel acceperat, dicebat ad Laban: Da mihi vxorē meam.Sicut enim illic ante nuptiarum cōstitutionem, cùm tantùm promissio interceſsisset vxor Iacob nominabatur: sic & Maria propter solam desponsationē,vxor Ioseph vocabatur.Vide autem Euangelij accuratam diligentiam,dicentis:Mense sexto missus est angelus Gabriel àDeo in ciuitatem Gallileę,cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro,cui nomen Ioseph,&c.Et rursus: Cùm erat orbis descriptio, & ascēdebat Ioseph, vt describeretur, quid ait scriptura:Ascēdit autem & Ioseph,vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prędgnāte:pregnans enim erat. Non dixit autem vxore sua,sed despōsata ipsi.Misit enim Deus filium suum, dicit Paulus,non factum ex viro & muliere: sed factum ex muliere tantū:hoc est,ex virgine.Mulierē enim etiam virginē appellari,priùs demonstrauimus. De virgine enim natus est,virgines efficiens animas. Sed miraris quod dictum est, Mirabatur & ipsa quæ peperit. Dicit enim ad Gabrielem: Quomodo fiet hoc:quoniam virum non cognosco. Ille autem respondit:Spiritus sanctus superueniet in te,& virtus altissimi obumbrabit tibi. Propterea & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei: Impolluta,& pura est generatio. Vbi enim spiritus sanctus,illic aufertur omnis pollutio.

Maria vxor Ioseph sola despōsatiōe.

Virgo quandoq; mulier vocatur.

Purissima igitur corporea generatio vnigeniti de virgine:etiamsi contradicant hæretici veritati. Redarguit eos spiritus sanctus.Indignè fert virtus altissimi adumbrans. Aduersus illos cōsistet Gabriel cōtrario vultu in die iudicij. Confundet eos locus

præse-

præsepij,qui susceperat dominum.Pastores testabuntur,qui tũc euangelizabant. Et exercitus angelorum laudantium,& canentium,atq; dicentiũ:Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Templũ,in quod erat illatus quadragesimo die.Par turturum, quod pro illo oblatum est:& Simeon in vlnis illum ferens, & præsens Anna prophetissa. Deo igitur testante,& sancto spiritu cõtestante atq; Christo ipso dicẽte: Quid me quæritis occidere, hominem veritatem vobis loquentem? Obmutescant hęretici,qui negant illius humanitatem. Contradicunt enim dicenti: Contrectate me,& videte:quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.Adoretur qui de virgine natus Christus, & agnoscant virgines sui status vel dignitatis coronam.Agnoscat eorum ordo & institutũ, qui vitam solitariam agunt,castitatis gloriam: neq; enim priuamur castitatis dignitate.In ventre enim virginis fuit,nouem mensium tempore saluator. Vir factus dominus triginta trium annorum. Itaque si veneratur virgo propter nouem mẽsium tempus, multò magis nos, propter multorum annorum tẽpus. Omnes autem castitatis cursum, Dei gratia curramus iuuenes & virgines,senes cum iunioribus: non intemperantias exercentes, sed laudantes nomẽ domini.Non ignoremus castitatis gloriam :angelica enim est corona, & supra hominẽ hæc perfectio: parcamus corporibꝰ, quę lucere debent sicut sol.Ne propter paruam voluptatem,tãtum ac tale corpus polluamus. Paruum enim est ad horam peccatum, longęua autem est ex eo, & æterna verecundia. Angeli obambulantes in terra,sunt castitatis operatores. Virgines cum Maria virgine, habebunt partem. Exterminetur omnis nimius ornatus, & omnis lasciuis aspectus, & omnis circa te obambulans fœminea vestis, & stola, & suffimentum voluptatis inescatiuum.Suffimentum sit tuum intus in omnibus,oratio boni ordinis, & bonorum operum, & corporum sanctificatio. Vt ille qui de virgine natus est, dicat etiam de nobis tam viris,quàm mulieribus castè viuentibus,& coronatis:Et habitabo in ipsis,& perambulabo,&ero ipsorũ Deus, & ipsi erunt mihi populus.Cui gloria in secula seculorum,

AMEN.

Virginum corona.

Castitatis monachorũ gloria.

Castitas veneranda.

Castitatis angelica corona.

Virginescũ Maria partẽ habebunt.

CATECHESIS DECIMATERTIA ILLVMINATORVM

Hieroſolymis extemporanea, De Crucifixo & ſepulto. Et lectio ex Eſaia: Domine quis credidit auditui noſtro: & brachium domini cui reuelatum eſt, & cætera: Sicut ouis ad occiſionem ductus eſt.

Crux maxima gloriatio noſtra.

GLoriatio ſanè eccleſię Catholicę, eſt omnis Chriſti actio, gloriatio verò gloriationum eſt Crux: quod ſciens Paulus, Mihi, inquit, abſit gloriari, niſi in cruce domini noſtri IESV Chriſti. Admirandum quidem erat, & cæcum natum in Silŏe ad viſum reſtituere: ſed quid hoc ad cæcos totius orbis? Magnum erat, & ſupra naturam, Lazarum quatriduanum reſurgere: ſed hæc tamen in illo finita erat gratia: quid autem ad eos, qui in vniuerſo orbe, peccatis erant mortificati? Mirabile, quòd ex quinq; panibus redundauit cibus in quinq; millia: ſed quid ad eos, qui ignorantiæ fame premebantur per totum orbem. Admirabile, ſoluere eam quæ decem & octo annis ligata fuit à diabolo: ſed quid hoc reſpectu omnium noſtrûm, qui fuimus catenis peccatorum noſtrorum vincti. Crucis autem corona, & cæcos in ignorantia illuminauit, & vinctos à peccatis ſoluit, & vniuerſum genus humanum in mundo redemit. Neq; mireris, totum eſſe per illum mundum liberatum: non enim ſimplex homo fuerat: ſed filius Dei vnigenitus pro illo moriens: quandoquidem vnius etiam viri Adam peccatum potuit mortem adferre mundo. Si ergo trangreſsione vnius mors regnauit in mundo: cur non multò magis iuſtitia vnius, vita regnet? Et ſi tunc per cibum illius ligni, eiecti ſunt ex paradiſo: nunquid per lignum IESV nunc non multò faciliùs credentes in paradiſum inducentur? Si protoplaſtus de terra vniuerſalem mortem attulit: qui creauit illum de terra, nunquid vitam non adferet æternam, cùm ipſe ſit vita? Si Phinees zelo ductus, & tollens de medio turpitudinis factorem, placauit iram Dei, IESVS non alium tollens, ſed ſeipſum tradens in precium, nunquid iram Dei contra homines non diſſoluet? Non pudeat itaq; nos crucis ſaluatoris, ſed in eo potiùs gloriemur. Sermo enim crucis Iudæis quidem offendiculũ, Græcis eſt ſtultitia, & his qui pereunt ſtultitia quoque eſt: his autem qui ſaluantur, virtus Dei eſt. Non enim, ſicut dictum eſt, ſimplex homo pro nobis mortuus eſt, ſed filius Dei, humanam aſſumens naturam. Tum verò agnus ille Moyſis inſtituto mactatus, procul arcebat vaſtatorem: agnus autem Dei, qui tollit peccatum mundi, nónne multò magis liberat à peccatis? Ac ſanguis quidem irrationalis agni, ſalutem exhibebat?

Mors per vnum: ſic & vita.

Sanguis

Sanguis verò vnigeniti, non multò magis seruabit? Si quis non credit virtuti crucifixi, percunctetur dæmones: si nõ quis credit verbis, credat factis apparentibus. Multi per orbẽ crucifixi sunt, sed nullum exhorrebant dęmones: quoniam illi quidem propter sua peccata mortui sunt, hic autem pro alienis. Peccatum enim ipse non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Non Petrus erat, qui hoc dicebat: ne quis suspicetur adulari illum magistro: sed Esaias id dixit, qui corpore quidẽ nõ aderat, spiritu tamẽ aduentum eius in carne præuidebat. Et quid est, quòd testem adducam solum prophetam, accipe & illum testem, qui eum condemnauit, dicentem: Nihil inuenio causæ in hoc homine. Et cùm morti illum addiceret, lauatis manibus, Innocens, inquit, ego sum à sanguine iusti huius. Est & alius testis innocentiæ IESV vnus latronum, qui cum illo erant crucifixi, reprehendens alterum atq;, dicens: Nos digna factis ferimus: hic autem nihil mali fecit: aderamus enim ego & tu in iudicio.

Crucifixum vnicum metuunt dæmones.

Passus est igitur IESVS pro hominibus verè: non enim apparentia est crux, neq; opinio redemptio: non imaginaria mors, & fabulatoria salus. Si enim imaginaria esset mors, veri essent illi qui dicebãt: Recordati sumus, quòd seductor ille dicebat adhuc viuens. Passio itaq; vera: verè enim crucifixus est, & non confundimur, neq; negamus: sed potiùs in eo gloriamur. Si enim nunc negarem, arguet me hic Golgotas, cui nunc omnes proximè assistimus: arguet me lignum crucis, quod per particulas ex hoc loco per vniuersum orbem sparsum est. Confiteor crucem, cùm sciam resurrectionem. Si enim crucifixus non surrexisset, sed sic permansisset, fortè non confiterer eam cruci affixionem, verùm occultarem fortè vnà cum meo magistro. Cùm autem resurrectio crucem sit consecuta, non pudet me de illa differere omnibus. Itaq; similiter vt, nos in carne existens, crucifixus est: sed non propter similia peccata. Non enim propter auaritiam perductus est ad mortem: nihil enim possidendi erat magister. Non propter concupiscentiam condemnatus: ipse enim apertè dicit: Quicunq; aspexerit mulierem ad concupiscendum, iam mœchatus est. Non propter temeritatem percussus & verberatus: præbebat enim & alteram maxillam percutienti. Non propter legis contemptum: legis enim impletor erat. Non quòd Prophetam affecit contumelia: ipse enim erat à prophetis prædictus: Non interuertens pretium: ipse enim sine pretio, & gratis curabat. Non verbis peccans, non factis, non conuersationibus. Peccatum enim non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: qui

Christus verè passus.

Lignum crucis per orbem sparsum.

Paupertatis magister Christus.

conuitijs

conuitijs affectus,non retulit conuitium:patiens, non minabatur:qui non inuitus,sed sponte sua venit ad passionem: Et etiã si quis dissuadens, illi dicat etiam nunc: Misereare tui ipsius domine.Dicet rursus:Vade post me Satana.Ac si vis amplius tibi persuaderi, quòd sponte ad passionem venit: nam alij quidem aut inuiti,aut nescientes moriuntur. Hic autem prædixerat suam passionem. Ecce tradetur filius hominis ad crucifigendum. Scis ne, quamobrem mortem non fugit benignus dominus? Vt ne totus peccatis perderetur mundus.Ecce ascendimus Hierosolymam,& tradetur filius Dei, & crucifigetur.Et rursus: Firmauit faciem suam,vt iret Hierosolymam. Et vis nosse apertiùs, quòd gloria Christi est crux eius? audi non me, sed illum dicentem: Prodiderat Iudas improbus patremfamiliâs, nuperq; exiens à mensa, & poculum benedictionis bibens, & pro potu salutari sanguinem iusti effundere volens. Qui panes eius comedebat, magnificauit super illum supplantationem. Paulò ante manus benedictionem recipiebant, & rursus argento proditionis mortem conciliauit.Et redargutus,audiuit: Tu dixisti. Rursusq; exiuit.Deinde dixit IESVS,venit hora,vt glorificetur filius hominis.Vides quomodo gloriam propriam sciebat esse crucem? Deinde Esaias quidem serra dissectus,non confundebatur.Christus verò pro mundo moriens confundetur? Nunc glorificabitur, inquit,filius hominis, non quòd priùs non haberet gloriam:glorificatus enim erat gloria ante mundi constitutionem: sed glorificabatur tanquàm Deus semper: nunc verò glorificatus est, patientiæ ferens coronam. Non coactè reliquit vitam, non violenter mactatus est,sed voluntate sua.Verùm audi quid dicat: Potestatem habeo ponere animam meam, & potestatem rursus habeo sumere eam.Volens capior ab inimicis:si enim nollem,nihil efficerent.

Voluntaria passio Christi

Glorificatio Christi duplex.

Venit igitur volũtariè ad crucem,gaudens in rectè facto,gaudens de corona: lętatus de hominum salute, non reueritus crucem. Saluauit enim orbem: quoniam non erat simplex homo, qui passus est,sed Deus incarnatus, & obedientiæ certans certamen. Sed contradicunt Iudæi, qui vbique in contradictionem prompti sunt, & tardi ad fidem:ita vt nunc lectus dicat propheta:Domine,quis credidit auditui nostro? Persæ credunt, & Hebræi non credunt.IESVS ipse annunciat de seipso: Videbunt quibus non dicetur de illo, & qui non audient, intelligent, & qui legunt,reijcient ea, quæ legunt,& meditantur. Contradicunt nobis,& inquiunt:Nunquid Christus patitur?Præualebũt

ne manus

ne manus humanæ dominationi? Legite Threnos: qui enim vos in Threnis deplorabat, digna flens scripsit Hieremias videns vestram perditionem, perspiciebat defectionem. Deplorauit tũc illam Hierusalem, hæc enim quæ restat non deflebitur, illa enim cruci affixit: hæc autem nunc adorat Christum dominum. Deplorans igitur dicit: Spiritus faciei nostræ Christus dominus, captus est in peccatis nostris. Num ergo ego nugor? ecce testatur Christum dominum ab hominibus captum. Dic mihi ô prophe ta, quid deinceps euenit. Ille autem: In vmbra, inquit, ipsius viuemus in gentibus: Non enim in Israël amplius, sed in gẽtibus conuersaturam indicat vitæ gratiam. Ac multæ cùm sint, quæ fiunt ab illis, contradictiones, age vestris precationibus adiutus, quantum temporis breuitas patitur, per dei gratiam de passione nonnulla producemus testimonia. Omnia enim de Christo scripta sunt, & nihil est ambiguum, nihil non testatum. Omnia in columnis propheticis inscripta sunt: non in tabulis lapideis, sed ex spiritu sancto manifestè descripta.

Deploratio vera Hierusalem.

Cùm itaq; audis Euangelium, quod de Iuda dicit, nunquid non debes recipere testimoniũ? audisti, quòd crepuit latus, nónne debes videre, si & hoc scriptum est? audisti, quòd in horto crucifixus est, nec debes videre, si id quoq; scriptum est? audisti, quòd triginta argenteis venditus est, non debes videre, si & hoc scriptum est? Audisti, quòd potatus est aceto, disce quoq; vbi sit hoc scriptum? audisti quòd cum latronibus sit crucifixus, nec scire debes, num & hoc est scriptũ? audisti quòd in Petra repositum est corpus, & lapide contectum: non debes ex propheta, & de hoc capere testimonium? audisti, quòd sepultus est, non debes videre si certò de sepultura scriptũ est? audisti, quòd resurrexit? nõ debes videre, si nõ ludimus te hæc docẽtes? Sermo enim noster, & prædicatio nostra, nõ in persuasibilibus humanæ sapiẽtiæ verbis: neq; sophistici apparatus nũc mouẽtur, vt deinceps soluãtur: nõ verba verbis vincũtur, quę resolui possint. Sed prędicamus Christũ crucifixũ, à prophetis iã pridẽ eundẽ prędictũ. Tu ergo accipiens de his testimonia, obsigna hæc in corde tuo. Quæ cum multæ sint, & tẽpus horæ perbreue, paucas capiam & pręcipuas.

Prædicatio Christiana.

Audi ergo nunc, & ex his sumens occasionem, sis studiosus reliquorum perquisitor: neq; ad accipiendum tantùm prompta sit manus tua, verùmetiam ad operandum, & Christus in omnibus gratificabitur: Si cui enim vestrûm deest sapientia, postulet ab eo, qui dat, Deo: & accipiet, qui etiã hoc vestris tribuat orationibus, vt & nos dicẽtes, possimus facere, & vos audiẽtes credere.

Testimonia Christi passionis.

Quæramus igitur, quæ sunt de passione testimonia: conuenimus enim nunc non scripturarum theoricam enarrationem facturi, sed persuasuri potiùs ea, quæ iam credidimus. Et anteà quidem de aduentu IESV accepimus testimonia, & quod super mari ambulabat: in mari via tua, vt scriptum est: Ambulans super mari sicut in sicco. Et testimonium de diuersis curationibus, alibi accepisti, nunc verò tandem incipiam vnde passio cepit. Iudas erat proditor, & veniens ex aduerso & stans pacifica loquebatur, hostilia autẽ moliebatur, dicit igitur de hoc Psaltes: Amici mei & proximi mei aduersũ me appropinquauerunt, & steterũt. Et rursus: Moliti sunt sermones eorum super oleum, & ipsi sunt iacula. Salue Magister, & tradidit magistrum in mortem: Et non sensit dicentis admonitionem: Iuda, osculo filium hominis tradis? Fermè enim hoc ad ipsum dixit, admonens eum per ipsius appellationem. (Iudas enim vocatur confessio.) Intellige, accepisti argentum, confitere citò: O Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris, & os dolosi in me apertum est. Locuti sunt contra me lingua dolosa, & sermonibus odiosis circumdederunt me. Quod autem quidam ex principibus sacerdotum aderant, & ante portas ciuitatis ligatus erat, anteà audisti. Quod si meministi admonitionem psalmi, tempus, & locum dicentis: Quomodo conuersi sunt ad vesperam, & esurierunt sicut canes, & circundederuut ciuitatem: audi igitur & de triginta argenteis, ex alio propheta: Et dicam ad ipsos, si est bonum in oculis vestris, date pretium meum, si dixeritis, &c. Alius apud vos vsuram habet curationum cæcorum, & claudorum: & aliud ego accipiam, pro adoratione contumeliam. Vides quomodo præuidit scriptura negotia. Et statuerunt pretium meum triginta argenteos: O propheticam certitudinem, ô maximam intelligẽtiam, & infallibilitatem spiritus sancti. Non enim decem aut viginti dixit, sed triginta præcisè. Et quòd tot erant, & quò processit hæc æstimatio ô propheta. Nunquid ille qui accepit retinuit? aut reddidit? & posteaquàm reddidit, quò progressum est? Dicit igitur Propheta: Et acceptis triginta argenteis, & proiecit eos in domum domini, in conflatorium. Confer Euangelium cum prophetia. Pœnitentia, inquit, ductus Iudas, & proijciens argenteos in templo, recessit. Sed hîc nonnihil est, vt existimatur dubij, cùm exactè disquiritur. Nam qui reprehendunt prophetas, dicunt: quòd propheta quidem dicit: quòd proiecit eos in domum domini, in conflatorium, Euangelium autem: Et dederunt ipsos in agrũ figuli: quomodo hi duo vera dicũt, audi.

Prophetica certitudo exactissima.

Cõflatorium idest ager figuli.

Iudæi,

Iudæi,si dijs placet,religioſi,qui tum erãt principes ſacerdotum, videtes Iudam pœnitentẽ, & dicentem, Peccaui tradens ſanguinem iuſtum,dicunt: Quid ad nos, tu videris. Nunquid nihil ad vos, qui crucifigitis? Sed hic quidem qui pretium necis accepit, & prodidit,videat:vos autem qui necatis, non videbitis?Deinde dicunt ad ſeipſos, Non licet eos nummos proijcere in carbonam:quoniam pretium ſanguinis eſt. Ex ore veſtro eſt vobis cõdemnatio.Si pollutum pretium, polluta & actio. Quòd ſi iuſtè agis crucifigens Chriſtum,quare non recipis pretium?Sed quod quæritur hoc eſt. Quomodo,non diſſonant: Euangelium quidem dicens agrum figuli, Propheta autem conflatorium. Non ſoli ærifabri habent conflatorium, ſed & lutifiguli habent luticonflatoria. Luti enim vilitatem & pinguedinem à pretioſiori terra in ærificinis conficientes perfundunt aquâ lutum, vt ſine impedimẽto operentur,quæ pręparauerant. Quid igitur miraris?Quòd Euangelium apertè agrum figuli:propheta autem ſub ænigmate protulit prophetiam: quandoquidem ſub ænigmate ſæpè ſolent eſſe prophetiæ. Ligauerunt IESVM, & adduxerũt in domum principis ſacerdotum.Vis ſcire,quòd & hoc ſcriptum eſt?Dicit Eſaias: Væ animæ ipſorum:quia conſultauit conſilium prauum,ad ſeipſos dicentes:Ligemus iuſtum: quia moleſtus eſt nobis.Et verè væ animę ipſorum. Et videmus, quòd Eſaias quidem ſerra diſſectus eſt,& populus tamẽ poſteà ſanatus eſt:Hieremias in fœtidum lacum proiectus:ſed & hoc Iudæorum vulnus ſanatum eſt:minimum enim erat,quoniam in hominem peccatum eſt.Poſteaquàm verò non in hominem, ſed in Deum inhumanatum peccauerunt Iudæi, væ animæ ipſorum. Ligemus iuſtum:Nunquid non potuit ſoluere ſeipſum, dicat quis,qui ſoluit quatriduanum à vinculis mortis Lazarum: & Petrum à ferreis carceris vinculis ſoluit? Parati aſtabant angeli dicentes: Diſrumpamus vincula eorum: ſed ſuſtinebant, quia ſic perferre & pati voluit hoc dominus. Rurſus ventum eſt ad ſeniores in Iudicium.Habes iam teſtimonium.Ipſe dominus venit cum ſenioribus populi. Sed interrogans princeps ſacerdotum, & audiens veritatem,indignatur: & malus miniſter dedit alapam: at ille faciem ſole illuſtriorem,manibus iniquis percuti ſuſtinuit:Et alij venientes inſpuebant in faciem eius, qui per lutum cæcum natum curauit.Hæc cine domino redditis, populeſtulte & non ſapiens.Et propheta admirans dicit:Domine,quis credidit auditui noſtro.Incredibilis res eſt,vnus Dei filius, & brachium domini hæc ſuffert.Sed ne diffidant ſaluãdi,prædicit hoc ſpiritus ſanctus

ex persona Christi,dicentis:Ipse enim, qui tunc ista loquebatur, deinceps aderat : Dorsum meum dederunt in flagella : Pilatus enim illum flagellatum dedit ad crucifigendum : maxillas autem meas in percussiones,faciem autem meam non auerti à turpitudine sputorum.Modo non dicit,præuidens,quòd eum verberaturi sunt:neq; auerti maxillam meam . Quomodo enim corroboraret discipulos ad perferendam mortem pro veritate,si ipse nõ protulisset ista.Ego dixi: Qui amat animam suam, perdet eam : si vitam amauit, quomodo id docuit, neque fecit, quod docuit.

Christus ad passiones nos inuitat.

Primùm igitur cùm Deus esset , ab hoĩbus hæc patiens sustinebat:vt homines ab hominib⁹ posteà ista patiẽtes,pro ipso eiusmodi perferre nos nõ puderet.Animaduerte , quòd & hæc apertè prædixerũt prophetæ. Multa autẽ scripturarũ testimonia,propter temporis angustiam prætermittimus,sicut prædixi.Si enim exactè quis omnia perquisiuerit , nullum Christi factum sine testimonio relinqueretur.Ligatus venit à Caipha ad Pilatum:Nũquid & hoc scriptum est ? Et ligantes adferebant regi munera Iarim.Sed obijciat aliquis ex his , qui acutè audiunt: Pilatus non erat Rex , vt interim alias relinquamus multas quæstiones,quomodo igitur ligantes ipsum attulerant Regi munera Iarim.Sed lege Euangelium.Audiens Pilatus, esse illum ex Galilæa,remisit ad Herodem : Herodes autem tum Rex erat , & aderat Hierosolymis.Et considera prophetæ diligentem certitudinem , munerum loco,inquit, ipsum miserunt . Facti sunt enim mutuò amici,Pilatus & Herodes , eadem die:anteà enim erant inimici . Decebat enim eum,qui mundum erat pacificaturus, vt priùs etiam ipsos iudices suos pacificaret. Et erat ipse dominus , componens corda Principum terræ . Habes Prophetarum certitudinem , & verum testimonium. Admirare iudicatum dominum : à militibus ducebatur & ferebatur . Pilatus sedet iudicaturus , & qui ad dexteram dei sedet,tunc stans patiebatur . Populus ex AEgypto ab illo liberatus,& ex alijs multis periculis,contra illum clamat: Tolle,tolle,crucifige eum . Qua de causa Iudæi ? quòd cæcos vestros curabat , quòd claudos vt ambularent sanabat , quòd reliqua eiusmodi beneficia vobis præstitit? Sicut & Propheta de hoc dicit: Super quem aperuistis os vestrum,& contra quem produxistis linguam vestram . Et ipse quoq; dominus per Prophetam dicit:Facta est hæreditas mea sicut leo in sylua , dedit contra me vocem suam:propterea odiui illam:non ego spreui,sed ipsi spreuerunt me.Ideò consequenter dico:Dereliquerũt domum meã.

Iudica-

Iudicatus,tacui. Tanquàm compateretur ei Pilatus,dixit: Non audis,quòd isti te accusant?Non quòd attenderet iudicatum:sed quia metuebat suæ vxoris somnium, quod ad illum miserat.Et dominus tacuit. Dicit Psalmus: Et factus sum sicut homo non audiens,& non habens in ore suo redargutiones. Et rursus:Ego autem sicut surdus non audiebam, & sicut mutus,non aperiens os suum.Audiuisti de hoc si meministi,& anteà.

Sed milites circundantes eum, illudebant ei.Et factus est ludibriũ illis dominus,&illuditur dominus: Viderũt me,& moue rũt capita sua:Figura tamẽ fit regni.Illudebãt quidẽ,genu flectebãt tamẽ,induẽtes purpura:& posteà crucifigunt.Milites coronã imposuerunt capiti eius. Quid enim refert etiamsi spineam.Omnis rex à militibus appellatur: oportebat & IESVM à militibus typicè crucifigi.Sicut ideo scriptura in canticis dicit: Exite,& videte filiæ Hierusalẽ in corona, qua coronauit ipsum mater eius. Mysterium erat corona:solutio enim erat peccatorum, dissolutio autem maledictionis. Accepit sententiam Adam: maledicta terra in operibus tuis, spinas & tribulos adferet tibi.Propterea IESVS accepit spinas,vt soluat hanc maledictionem: & ideò sepultus est in terra, vt maledicta terra pro maledictione recipiat benedictionem. Tempore peccati primi, folijs ficus circumdabãtur:Ideò & IESVS finẽ signorum dedit ficum. Iturus enim ad passionem maledicit ficum:non omnem ficum, sed illam solam propter figuram,dicens: nequaquam amplius quisquam de te comedet. Dissoluta est damnatio. Et cùm tantùm folia ficus circumfusa erant, venit in tempore, in quo cibus non inueniebatur. Quis ignorat, quòd tempore hyemis ficus non fert fructum, sed solis folijs circumdatur. Quod omnes sciebant, nunquid hoc IESVS ignorabat? Sed venit sciens, quęsijt non ignorans,quod non esset inuenturus: sed figuram maledictionis vsq; ad folia tantùm faciens. Et cùm res paradisi attigimus, miratus sum certè, figurarum veritatem:In paradiso casus, & in horto salus:de ligno peccatum,& per lignum saluatio. Post meridiem domino perambulante,occultati sunt:& post meridiem à domino latro in paradisum introducitur. Sed dicet aliquis: Comminiscis ista? Ostende à propheta lignum crucis prædictum, nisi prophetiam à propheta prębueris,non persuadebor.

Christus à militibus typicè coronatus

Corona mysterium erat

Audi igitur Hieremiam, & sis fidelis, Ego sicut agnus innocens ductus ad sacrificium:nesciens? sic enim per interrogationem legitur: Quasi diceret: Qui dicit,quòd post duos dies pascha fiet,& filius hominis tradetur ad crucifigendũ,nũquid nesciuit?

Ego ſicut agnus manſuetus, qui portatur ad victimam, & non cognoui? Qualis agnus. Ioannes baptiſta interpretatur dicens: Ecce agnus Dei. Et propheta dicit: Super me cogitauerunt cogitationem. Qui cogitationes nouit, nunquid euentum neſciet? Et quid dicebant? Venite & inijciamus lignum in panem ipſius. Et ſi te dominus dignatus fuerit, in poſterum cognoſces, quòd corpus ipſius ſecundum Euangelium typum ferebat panis. Venite igitur lignum inijciamus in panem ipſius, & conteramus ipſum de terra viuentium. Vita non conteritur, quid fruſtrà laboratis? Et nomen eius non recordabitur ampliùs: Vanum eſt veſtrum conſilium: ante ſolem enim nomẽ eius in Eccleſia permanet. Quòd autem vita erat ſupra lignum ſuſpenſa, Moyſes deplorans dicit: Et erit vita tua ſuſpenſa coram oculis tuis. Et metuis dies & noctes, & non credis vitæ tuæ. Et quod paulò antè lectum eſt: Et quis credidit auditui noſtro.

Corpus Chriſti typum ferebat panis.

Huius typum perfecit Moyſes, crucifigens ſerpentem, vt qui erat leſus à viuo ſerpente, aſpiceret æneum ſerpentem, & credẽs ſeruaretur. Sic'cine æreus quidem ſerpens cruci affixus ſeruat, filius autem Dei incarnatus & crucifixus nõ ſaluabit? Vbiq; per lignum ſalus. Noë tempore per ligneam arcam vitæ fuit conſeruatio. Mare tempore Moyſis videns virgam, erubuit eam, qua percuſſum eſt. Virga igitur Moyſis potuit, & Chriſti crux non poterit? Omitto plures typos breuitatis cauſa. Lignum Moyſis tempore dulcem effecit aquam. Et de Chriſti latere aqua effuſa fluxit in ligno. Initium ſignorum tẽpore Moſis ſanguis & aqua. Et vltimum IESV ſignorũ hoc idem. Primum Moyſes mutauit flumen in ſanguinem, & Ieſus poſtremò aquam emiſit de latere, vnà cum ſanguine fortaſsis propter duas cędes, alteram iudicantis, alterã verò clamantiũ: aut propter credẽtes, & nõ credẽtes. Pilatus enim dixit: Innocẽs ſum, & aqua lauit manꝰ. Clamãtes autẽ dicebant: Sanguis eius ſuper nos. Erant igitur hæc duo de latere, fortaſsis iudicanti aqua: clamantibus verò ſanguis. Ac rurſus aliter intelligẽdum. Iudæis quidem ſanguis: Chriſtianis verò aqua: Illis quidem tãquàm inſidiatoribus, ex ſanguine condemnatio: tibi verò nunc credenti per aquam ſalus. Nihil enim temerè factum eſt. Aſsignarunt enarratores patres noſtri, & aliam quoq; eius rei cauſam. Cùm enim duplex ſit baptiſmi ſalutaris virtus, vt eſt in Euangelijs: Vna quidem, quæ baptizatis donatur per aquam, altera verò ſanctorum martyrum in perſecutionibus, per proprium ſanguinẽ: Exiuit de latere ſalutari ſanguis & aqua, propter eam quæ eſſet futura Chriſti confeſsionem, & in baptiſmo:

Sanguis & aqua cur fluxit de latere.

Baptiſmus duplex.

tiſmo:& in temporibus martyrij, cõfirmans gratiam. Eſt & alia lateris huius cauſa. Mulier fuerat prima ductrix peccati, quæ de latere creata eſt. Sed IESVS, qui venit, vt viris ſimul ac mulieribus conferret reconciliationem: aperuit latus pro mulieribus, vt ſolueret peccatum. Et ſi latiùs enarrari voles, reperies & alias cauſas: ſed hæc dicta ſufficiãt, propter temporis anguſtiam & ne ſit auditoribus faſtidium audire. Quanuis laborioſum eſſe non deberet, audire de coronato domino: & maximè in ſancto hoc Golgotha. Alij enim audiunt tantùm, nos autem & videmus, & attingimus: Nemo itaq; laſſetur.

Accipe arma contra aduerſarios huius crucis. Trophæum ſtatuas fidem crucis, aduerſus contradicentes. Cùm enim de domino cruceq; cõtra infideles quæſtio tibi erit, priùs ſtatue manu tua ſignum: & obmuteſcet contradicens. Non pudeat crucem Chriſti confiteri: angeli enim gloriantur, dicentes: IESVM crucifixum queritis. Non potuiſti dicere ô Angele: Scio quem quæritis, meum dominum, ſed confidenter dicit: ſcio quod crucifixum. Corona enim eſt crux, & non ignominia. Cæterùm redeamus nos rurſus ad propoſitam prophetarum demonſtrationem. Crucifixus eſt dominus, accepiſti teſtimonia. Vides locũ hunc in Golgotha, ſimul, & voce cõfiteris, & mẽte quieta. Caue autem in tempore perſecutionis neges. Non tantùm tempore pacis congaudeas crucifixo: verùmetiam tempore perſecutionis eandem retine fidem. Ne ſis tantùm pacis tempore IESV amicus, & tempore belli inimicus. Accipis nunc in remiſsione peccatorum & ſpiritali dono regis pecunias: quando venerit bellum, pugna ſtrenuè pro rege tuo IESV. Pro te crucifixus eſt, qui nihil peccauerat, & tu pro crucifixo non crucifigeris? Non tu priùs gratiam illi hanc exhibes, prior enim accepiſti, ſed gratiã illi reddis. Redde vſuram illi, qui propter te in hoc ſacro Golgotha crucifixus eſt. Golgothas verò interpretatur Caluarię locus. Aliqui ergo propheticè locum hunc Golgotham appellarunt, in quo verum caput Chriſtus crucẽ ſuſtinuit: Sicut Apoſtolus dicit, Qui eſt imago dei inuiſibilis. Et pòſt pauca: Et ipſe caput Eccleſiæ. Et rurſus: Omnis viri caput eſt Chriſtus: Et rurſus: Qui eſt caput omnis principatus. Caput hoc, in loco Caluarię paſsũ eſt. O magnam propheticam appellationem. Modò enim non & nomen hoc admonet te dicendo: non vt ſimplici homini attendas crucifixo: caput eſt omnis poteſtatis crucifixum: Caput autem habens patrem. Caput viri Chriſtus, caput Chriſti Deus.

Crucis ſignũ manu præmittendum.

Caluaria vnde.

Chriſtus

Christus igitur pro nobis crucifixus est, iudicatus noctu cùm frigus esset, & focus carbonum ideo fuit appositus. Crucifixus hora tertia. Ab hora autem sexta tenebræ factæ sunt vsq; ad horam nonam. Et rursus ab hora nona lux. Nunquid & hæc scripta sunt, quæramus.

Dicit igitur Zacharias: Et erit in die illa, nõ erit lumen, & erit frigus vna die. Frigus cùm esset, Petrus calefaciebat se. Et dies illa nota domino. Dicit dies illa. Quid enim, núm & alias non nouit? Multę sunt dies, sed illa dies passionis domini, quam fecit dominus: & illa dies nota domino. Et neq; dies, neq; nox. Quale est hoc ænigma, quòd dicit propheta, dies illa, neq; dies est, neq; nox? Quomodo igitur eam vocabimus? Interpretatur Euangelium, quod negotium hoc enarrat. Non erat dies: quia non perpetuò ab oriẽte vsq; ad occasum sol lucebat, sed à sexta vsq; ad nonam, tenebræ factæ sunt in medio die, interpositæ sunt tenebræ? Nominauit autem Deus tenebras noctem. Propterea, neq; dies neq; nox: non enim tota lux erat, vt vocaretur dies, neq; tota tenebrę, vt vocaretur nox: sed post nonam illuxit sol. Prædixit & hoc propheta: dicẽs enim: neq; dies neq; nox, addidit, & ad vesperam erit lumen. Cernis prophetarum exactam certitudinem: cernis veritatem scriptorum. Sed quæris apertè, qua hora sol defecerit, si octaua vel decima. Dic Iudæis veritatem ô propheta: Quando deficiet sol? Dicit igitur Amos propheta: Et erit in die illa dicit dominus, occidet sol in meridie: ab hora enim sexta tenebræ factæ sunt, & obtenebrata est lux super terram in die. Quale hoc tempus ô propheta, & qualis dies? Et conuertam solemnitates vestras in luctum. In azymis enim hoc agebatur. Deinde dicit. Et ponam ipsum sicut luctũ dilecti, & eos qui cum ipso, sicut diem doloris. In die enim azymorum, & solemni, mulieres ipsorum plangebant & flebant, apostoli verò occultati dolebant: admiranda ergo hæc prophetia. Sed da mihi & aliam, dicat quis, quod signum est certius de eo quod factum est. Crucifixus IESVS, is, qui vnam tantùm tunicam habebat, & vna veste vtebatur: Milites vestem quidem in quatuor partes sciderunt, tunica autem scissa non est, nullus enim deinceps, illius esset vsus: sed sors de illa inter milites proiecta est, ac illam quidem diuiserunt, de hac autẽ sortẽ miserunt. Nunquid & hoc scriptũ est? Sciunt hoc studiosi Ecclesię Psalmistę: qui angelicos imitãtes exercitus, semper deũ laudibus celebrãt: Qui digni habiti sũt psallere in hoc sancto Golgotha, & dicere: Diuiserũt sibi vestimenta mea, & super vestẽ meã miserunt sortẽ. Sors autem erat quam milites proiecerunt.

Neq; dies neq; nox.

Sol occidet in meridie.

Psalmistæ erant Hierosolymis.

Rursus.

Rursus: Apud Pilatum cùm iudicaretur, rubeam vestem ferebat: illic enim posuerunt super illum chlamidem coccineam. Nunquid & hoc scriptum est? Dicit Esaias: Quis est hic progrediens ex Edom, rubrum vestimentum eius ex Bosor: Quis alius, quàm ille, qui per contumeliam tulit vestem purpuream. Bosor enim apud Hebræos quiddam eiusmodi sonat. Quare sunt rubra vestimenta tua, & indumenta tua, sicut calcantium in torculari. Ille autem respondet, & dicit: Tota die expandi manus meas ad populum incredulum & contradicentem. Expandit in cruce manus, vt comprehenderet fines terræ: Medium enim terræ est hic Golgothas. Nõ me⁹ hic est sermo, propheta dicit: Operatus est salutem in medio terræ. Expandit humanas manus, qui spiritalibus suis manibus firmauit cœlum. Et affixerunt eas clauis, vt humanitate ligno affixa, quæ tulit hominum peccata, & moriente humanitate, commoreretur & peccatum, nos verò resurgeremus in iusticia. Cùm enim per vnum hominem sit mors, etiam per vnum vita: per vnum autem hominem saluatorem, qui sponte sua mortuus est. Recorderis dictorum: Potestatem habeo ponere animam meam, & potestatem habeo rursus accipere eam. Ac ille quidem hæc sustinuit, pro salute omnium veniens: Populus verò malam illi mercedem reddidit. Dixit IESVS: Sitio. Qui educebat ipsis ex rupe aquas: en petit à vinea, quã plantauit, fructus. Sed quid vinea? quæ secundũ naturã quidem erat ex sanctis patribus, secundum voluntatem autem ex Sodomis. Vinea enim illorum ex Sodomis, & sarmentũ illorum ex Gomorra, sitienti domino, spongia madefacta, & imposita arundini, porrigit acetum. Et dederunt in cibum meum fel: & in siti mea potauerunt me aceto. Cernis claritatem prædictionis propheticę? Cuiusmodi autẽ fel dederũt ori ei⁹? Dederũt, inquit, illi vinũ myrrha ꝑmixtũ: myrrha autẽ felis instar amara est. Hæc dño reddidistis? Hæc adfert vinea dño? Iustè igitur deplorat vos Esaias dicẽs: Vinea facta est dilecto meo, in cornu, in loco pingui. Et vt ne omnia repetamus. Expectaui, inquit, vt faceret vuam: sitiui, vt daret vinum: ipsa autem fecit spinas. Cernis hanc coronam, qua circumdatus sum? Quid ergo statuam deinceps? Nubibus præcipiam, ne super illam pluant. Ablatæ enim sunt ab illis nubes, prophetæ. Prophetæ enim deinceps sunt in Ecclesijs, sicut dicit Paulus: Prophetæ autem duo aut tres loquantur: alij autem dijudicent. Et rursus: Deus dedit in Ecclesia alios quidem prophetas. Propheta erat Agabus, qui ligans sibi manus & pedes prophetauit.

Prophetæ sũt in Ecclesia.

De Latronibus autem, qui cum illo crucifixi sunt, dictum est: Et cum iniquis reputatus est. Ac duo quidem anteà erant iniqui: Vnus autẽ nõ vsq; ad finẽ iniquus permãsit: Alter autẽ ad finẽ iniquus, obstinatus ad salutẽ. Manibus quidẽ affixus erat: sed lingua blasphema verberabat. Sicut & Iudæi accedentes mouebant capita sua illudentes crucifixũ: implentes quod scriptũ erat, Videbant me, mouebant capita sua. Et alter quoque latro cum illis infamat: alter autem reprehendit infamantem. Eratque ipsi finis vitę, principium rectè facti, traditio animæ, & acceptio salutis. Et post hanc illius reprehensionem dicit: Memento mei domine, ad te enim mihi sermo est: relinque hunc, obcæcati enim sunt mentis illius oculi: mei autem memineris. Nõ dico, vt operum meorum memineris: hęc enim metuo. Omnis enim homo afficitur ad comitem suum: simul tecum eo ad mortem, memineris comitis sui. Sed non dico aliter vt mei memineris, quàm cùm veneris in regnum tuum. Quæ virtus te illuminauit ô latro? Quis te docuit adorare cõtemptum, & simul cruci affixum? O lumen perpetuum illuminans obscuratos. Ideo & iustè audit: Confide. Non quòd opera tua digna sint confidentia: sed quia rex adest, qui gratiam confert. Longa erat petitio: sed celerrima gratia. Amen dico tibi, hodie eris mecum in paradiso. Cùm enim hodie vocem meam audisti, & non obturasti cor tuum: celeriter contra Adam tuli sententiã, celeriter tibi gratificor. Illi quidẽ dictum est: Quacunq; die comederitis, morte moriemini. Tu verò hodie obedisti fidei, hodie quoq; tibi salus. Ille propter lignum excidit: & tu de ligno introduceris in paradisum. Ne timeas serpentem: cecidit enim de cœlo, nõ eijciet te. Et non dico tibi, hodie recedes: sed hodie mecum eris, nõ reijcieris: Confide, neq; timeas flammeum gladium, reueretur enim dominum. O ingentem & inenarrabilem gratiam. Nondum Abraham fidelis ingressus est, & latro ingreditur: nondum Moyses & prophetæ, & iam latro iniquus ingreditur. Admiratus est te etiam Paulus, dicens: Vbi abũdauit peccatũ, superabundauit gratia. Qui tulerunt ęstũ, nondũ ingressi sunt: & qui vndecima hora venit, ingressus est. Nemo murmuret cõtra patrẽfamiliâs, cũ ille dicat: Amice nõ facio tibi iniuriã. Nónne potestatẽ habeo in meis facere vt volo? Vellet iustè agere latro: sed venit mors. Nõ tãtũ opus moror: sed fidem recipio. Venit qui pascit inter lilia, venit pascere in horto: ouem inuenit perditam, eam in vlnas suas accepit. Credit enim, cùm & ipse dicat: Erraui sicut ouis quæ perijt. Memento mei domine, quando veneris in regnum tuum. Pręcantauit in Canticis

Latro illuminatus à deo.

de hoc

de hoc horto ad meam ſponſam,hæc dicens ad illam : Ingreſſus ſum in hortum meum:ſoror mea ſponſa. Erat autem vbi crucifixus eſt,hortus. Et quid accipis illic. Meſſui myrram meam,vinum myrratum bibens & acetũ. Quo guſtato dixit:Conſummatum eſt.Impletum enim eſt myſterium.Impletæ enim ſunt ſcripturæ:diſſoluta peccata. Chriſtus enim aſsiſtens ſacerdos futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum,non manufactum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta. Si enim ſanguis taurorum & hircorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quantò magis ſanguis Chriſti.Et rurſus:Renouauit nobis viam recentem & viuẽtem,per velum:hoc eſt,per carnem ipſius. Et poſteaquàm caro ipſius velamentum, ignominia affectum, propterea velum templi ſciſsum eſt in duas partes,àſummo vſq; deorſum. Neq; enim modicum illius relictum eſt: cùm dominus dixerit: Ecce relinquetur domus veſtra deſerta. Domus hæc planè diſrupta eſt.Suſtinuit autem hæc ſaluator, pacificans per ſanguinẽ crucis, & quæ in cœlis, & quæ in terris. Inimici enim eramus propter peccatum: Et decreuit Deus, vt qui peccat,moreretur. Quid igitur ex his duobus fieri oportebat?vtrũ,vt verax ſit Deus omnes tollere,aut,vt ſit benignus diſſoluere decretum?Sed vide Dei ſummam ſapientiam.Cuſtodiuit enim & decreti veritatem, & benignitatis virtutem. Aſſumpſit Chriſtus peccata in corpore,in lignum:vt per mortem ipſius nos peccatis mortui, & iuſtitiæ viueremus. Non paruus erat, qui mortuus eſt pro nobis. Non erat ouis ſenſilis. Non erat ſimplex homo: non erat angelus tantùm,ſed Deus incarnatus. Non tantùm erat peccantium peccatum, quanta pro illis morientis iuſtitia:non tantùm nos peccauimus,quantum ille iuſtè egit, qui animam pro nobis poſuit,qui poſuit quãdo voluit,& rurſus accepit,quãdo voluit.Et vis noſſe,quòd nõ violẽter poſuit animã,neq; inuitꝰ tradidit ſpiritum?Alloquebatur patrem,dicens: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum:commendo,vt rurſus accipiam. Et hoc dicens, emiſit ſpiritum, ſed non in longum tempus:celeriter enim rurſus reſurrexit.

Velum templi curſciſſũ.

Defecit ſol propter iuſtitiæ ſolem. Petræ ſciſſæ ſunt,propter ſpiritalem petram. Sepulchra aperta ſunt, & mortui ſurrexerunt propter eum,qui eſt inter mortuos liber: emiſit ipſos vinctos de lacu non habente aquam. Non igitur pudeat te crucifixi, ſed confidenter dic: Et ipſe peccata noſtra tulit, & liuore eius ſanati ſumus.Ne ingrati ſimus erga benefactorẽ. Et rurſus:

Ab iniquis populi mei ductus sum in mortem: Et dabo malos pro sepultura ipsius. Propterea manifestè dicit Paulus: Quòd Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum scripturas, & quòd sepultus, & tertia die resurrexit.

Volumus autem apertè scire, vbi sepultus est? Nunquid manufactus est locus? nunquid sicut regum sepulchra eleuatus est super terram? Ex lapidibus facta est sectio composita. Et huic quid superponitur? dicite nobis ô prophetæ, & sepulchri certitudinem vbi ponetur, & vbi ipsum quæramus. Illi autem dicũt: Respicite in solidam petram, quam excidistis: respicite & sentietis. Habes autem & in Euangelijs: In monumento exciso, quod erat excisum ex petra. Et quid fit? Quod est ostium monumenti? Rursus propheta alius dicit: Morticarunt in lacu vitam meam, & imposuerunt lapidem super me. Lapis angularis, electus & glorioſus, in interiori lapide positus est ad modicum tempus. Lapis offendiculi Iudæis, & lapis salutaris credentibus.

Prophetiæ de sepulchro Christi.

Insitum igitur est lignum vitæ in terra, vt maledicta terra deinceps frui posset benedictione, & vt liberentur, viuificenturq; mortui. Nõ pudeat igitur nos, crucifixum cõfiteri, sed in fronte confidenter signaculum crucis digitis imprimatur, & in alijs omnibus crux fiat: In panibus comedendis, & in poculis bibendis, & in egressu & ingressu, ante somnum, recumbendo, & surgendo, eundo, & quiescendo. Magna hæc est custodia, quæ propter pauperes gratis datur: sine labore propter infirmos, cùm à Deo sit hęc gratia, signum fidelium, & timor dæmonum: Triumphauit enim de illis in hoc signo. Ostenta illud audacter. Quando enim viderint crucem, recordantur crucifixi. Metuunt eum, qui contriuit capita draconis. Neq; propterea, quòd est gratuitum, contemnas hoc signaculum: sed ideo magis venerare benefactorem. Et si in inquisitionem fortè incideris, & sermones demonstrationis tibi defuerint, firma apud te remaneat fides. Quòd si eruditus fueris, obstrue os Iudæis ex prophetis, & Græcis ex ipsorum fabulis. Qui & fulmina adorant, fulmen autem de cœlo veniens non temerè venit. Si illi ea quæ Deus odit, adorare non verentur, tu Deo dilectum, filium Dei pro te crucifixum adorare vereberis. Pudet me dicere de his, quos illi Deos appellant, & prætermitto ista propter exeuntẽ horã: qui autẽ sciũt, dicãt. Obstruatur verò os hæreticis oĩbus. Si quis dicat, quòd crux sit tãtùm phantasma, auersere, & oderis dicẽtes, quòd per phãtasiam tantũ crucifixus sit. De cruce enim salus. Si phãtasia crux, phantasia erit & ascensio, phantasia & secundus aduentus, & nihil erit certi.

Crucis signũ in fronte, & in omnibus faciendum.

Crucem metuunt dæmones.

Accipe

Accipe primùm immobile fundamentum crucem, & in eo reliqua fidei ædifica. Non neges crucifixum: si enim negaueris, habebis multos, qui te redarguant. Iudas te primus proditor redarguet. Ipse enim qui prodiderat, scit quòd à principibus sacerdotum, & senioribus damnatus esset ad mortem. Testantur triginta argentei: testatur Getsemane, vbi facta est proditio. Nondum dico montem oliuarum, in quo prę sentes noctu orabant. Testatur luna in nocte: testatur dies & sol deficiens: non enim ferre potuit improborum illorum nequitiam. Arguet te ignis, cui assistẽs, calefaciebat se Petrus. Si negaueris crucem, manet te ignis æternus. Dura hæc dico, vt non hæc dura discas experientia. Recordare gladiorum, qui in Getsemane promebantur contra illũ, vt gladium nõ experiaris ęternum. Arguit te domus Caiphæ, per eam quæ nunc est interpretationem, demonstrans tũc illius iudicis potestatem. Consistet aduersus te in die iudicij & ipse Caiphas. Consistet & minister, qui alapas dabat IESV, qui ligabant, qui adducebant. Resistet tibi & Herodes & Pilatus, modo non dicentes. Quid negas eum, qui nostro tempore à Iudæis est calumniatus, quem sciebamus nos nihil pecasse. Ego enim Pilatus laui tunc manus. Aduersabuntur tibi & falsi testes, & milites, qui tunc purpurea illum veste induerũt. Et in Golgotha crucifigentes, & de veste sortem mittentes. Arguet te Simon Cyreneus, crucem post IESVM ferens. Arguet te ex astris, Sol deficiens: ex rebus terrenis, vinum myrrhatum: ex fruticibus arundo: ex herbis Hyssopus: ex Marinis spõgia: ex arboribus, lignum crucis. Milites, vt antè dixi, vincientes, & sortem mittentes de vestibus. Miles qui lancea latus aperuit. Mulieres quæ tunc aderant. Velum templi scissum. Pilati prætorium, quod virtute crucifixi, nũc desolatum est. Golgothas hic sanctus, qui sic elatus est, & ad hodiernam diem apparet, & hactenus monstrat vbi propter Christum petræ sciſſæ sunt. Sepulchrum hoc proximum, vbi positus erat, & lapis ostio monumenti superpositus, qui ad hodiernum vsq; diem, ante monumentum situs est. Angeli tũc præsentes. Mulieres quæ adorauerunt illum post resurrectionem. Petrus & Ioannes, qui ad monumẽtum cucurrerunt. Thomas, qui in latus eius manum immisit, & digitos in locum clauorum: propter nos enim ille accuratè tangebat, & propter te, qui tum non adfueris, & esses quæsiturus, hoc ille tunc præsens quęsiuit, per diuinam dispositionem.

Crux fundamentum fidei

Testes passionis Christi.

Habes duodecim apostolos crucis testes, & orbem terræ, & mundum vniuersum eorũ, qui in crucifixum credunt hominũ.

Hoc ipsum, quòd tu nunc hîc ades, persuadeat crucifixi virtutẽ. Quis enim te nunc congregauit? qui milites? quibus vinculis coactus? quæ condemnatio te huc impulit? Tropheum IESV salutare, crux omnes congregauit. Hoc Persas seruire fecit: hoc Scytas cicurauit: hoc AEgyptios à cattis & canibus, & varijs erroribus ad Dei cognitionem adduxit: hoc ad hodiernum vsque diem curat morbos, dæmones fugat, & veneficiorum, incantationumq; auertit impostura: hoc cum IESV apparebit in cœlo: præcedet enim Regis tropheum, vt videntes quem pupugerunt, & à cruce agnoscentes, quem cõtempserunt. Qui non egerunt pœnitentiam Iudæi, flebunt tum, & flebit tribus super tribum: tunc enim pœnitentiam agent, quando non erit ipsis salutis tempus. Nos autẽ gloriantes gloriemur in cruce, missum dominum, & pro nobis crucifixum: adorantes & eum qui misit patrem Deum. Cui gloria in secula seculorum, Amen.

Crux & morbos & dæmones, & incãtationes repellit.

CATECHESIS QVARTA, ET DECIMA ILLVminatorum *Hierosolymis extemporanea: De Resurgente à mortuis tertia die, & ascendente in cœlos, & sedente in dextera patris. Et lectio ex prima ad Corinthios: Notum autem vobis facio, fratres. Euangelium, quod prædicaui vobis, & cætera: Quòd resurrexit tertia die secundum scripturas, &c.*

LAEtare Hierusalem, & celebrate festum omnes, qui diligitis IESVM: resurrexit enim. Gaudete omnes, qui anteà lugebatis, Iudæorum temeritates, & iniquitates audientes. Qui enim contumelia ab illis fuerat affectus, hic nunc rursus excitatus est. Et sicut de cruce ascultatio, tristis nonnullis erat: sic & Euangelium, hoc est, annuntiatio bona de resurrectione, lætificet præsentes. Conuertatur luctus in gaudium, & dolor in lætitiam, & impleatur gaudio, & exultatione os vestrum, propter eum qui post resurrectionem dixit: Gaudete: vidi enim amatorum Christi diebus præteritis dolorem: cùm dicendo, in mortem desineremus, resurrectionem autem non euangelizaremus: suspensus erat animus ad audiendum id, quod desiderabatur. Resurrexit igitur ille mortuus, qui est inter mortuos liber, & mortuorũ liberator. Qui per ignominiam propter patientiam corona spinea insignitus erat, hic resurgens, diadema deuictæ mortis induit.

Tristitia diebus passionis olim vsitata.

Sed quemadmodum testimonia de cruce attulimus, sic age nunc quoq; de resurrectione demonstrationibus in fide confirmabimur. Cùm Apostolus dicat: Sepultus est, & resurrexit

tertia

tertia die ſecundum ſcripturas. Apoſtolo igitur ad ſcripturarum teſtimonia nos remittente, pulchrum eſt vt agnoſcamus ſpem noſtræ ſalutis. Ac primùm quidem diſcendum eſt, ſi diuinę ſcripturæ indicant tempus reſurrectionis ipſius : vtrùm in æſtate, vel autumno fiet, an poſt hyemem? & quib⁹ ex locis ſaluator reſurget ? & quod nomen reſurrectionis ab admirandis dicitur prophetis? Et ſi mulieres quęſierunt eum, & primo non inuenientes, deinde inuenientes gaudebant. Vt cùm Euangelia leguntur, non fabulæ, neq; commenta eſſe putentur, ſanctorum Euãgeliorum enarrationes. Et quòd quidem ſepultus ſit ſaluator, apertè audiſtis in ſuperiori ſermone, Eſaia dicente : Erit in pace ſepultura eius. Pacificans enim cœlum & terram, peccatores adducit Deo. Et quòd à facie iniquitatis auferetur iuſtus. Et dabo malos pro ſepultura ipſius, & prophetia Iacob, dicens in ſcripturis: Requieſcens accubuiſti vt Leo, & vt leæna, quis ſuſcitabit eũ. Et proximum huic in Numeris: Accubans dormiuit vt leo, & quaſi leæna. Et Pſalmo ſæpè dicente : In puluerem mortis deduxiſti me. Et locum annotauimus in hoc dicto : Reſpicite in Petram, quàm exſculpſiſtis. Deinceps verò de hac illius reſurrectione ſequantur teſtimonia.

Reſurrectionis Chriſti teſtimonia.

Dicit igitur primùm in vndecimo Pſalmo: Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum, nũc exſurgam, dicit dominus. Sed manet adhuc dubium apud quoſdam: ſæpè enim & in iram exurgit, ad vindictam de inimicis ſumendã. Veni ergo & in quindecimum pſalmum apertè dicentem: Conſerua me domine, quia in te ſperaui. Et poſt hæc. Non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea. Quia me reiecerunt regem, & optarunt ſibi Cæſarem: Et deinde: Præuidebam dominum in conſpectu meo ſemper, quia à dextris eſt mihi, ne commouear. Et poſt pauca: Inſuper & ad noctem increpuerunt me renes mei. Et poſteà manifeſtiſsimè dicit: Quia non derelinques animam meam in inferno, neq; dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Non dixit, non dabis ſanctum videre mortem : alioquin non eſſet mortuus : ſed corruptionem, inquit, nõ videbo : in morteq; nõ permanebo. Notas mihi feciſti vias vitæ. Vide quòd apertè poſt mortem vita prædicatur. Veni & in vigeſimum nonum pſalmum. Exaltabo te domine, quoniã ſuſcepiſti me, nec delectaſti inimicos meos ſuper me. quod factũ eſt, ab inimicis liberatus es, aut cùm eſſes verberandus, diſceſsiſti. Ipſe dicit apertiſsimè: Domine eduxiſti ex inferno animam meã. Illic dicit: Non derelinquas animam meam, prophetico ſpiritu:

Hic

Hic autem dicit, id quod futurum erat, tanquàm factum iam fuisset: Quòd eduxisti, saluasti me à descendentibus in lacum. Quo tempore id esse debet? Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum exultatio. Vespere enim erat discipulorum luctus, & manè in die resurrectionis lætitia. Vis & de hoc locum scripturæ nosse? Dicit in Canticis: In hortum meum descendi. Hortus enim erat vbi crucifixus est: quamuis enim nũc regalibus donis ornatus sit hic locus: hortus tamen anteà fuit. Et huius symbola manent & reliquiæ: Hortus conclusus, fons signatus à Iudæis dicentibus: Recordati sumus, quòd seductor ille dixit, cùm adhuc viueret: quòd post tres dies resurgam. Iube igitur custodiri sepulchrum: ac deinde obsignantes lapidem, custodiam adhibuerunt. Ad quos intendens, dixit aliquis: & in requie iudicabis ipsos. Quis verò est fons signatus, aut quis interpretatur puteus aquarum viuentium? Ipse est saluator, de quo scriptum est: Quia apud te fons vitę. Sed quid dicit discipulus Sophonias ex persona Chrsti? Prępara te, manè surge, corumpetur enim omne germen ipsorum, Iudęorum videlicet: apud quos non relinquetur racemulus salutis, sed neq; botrunculus: concidetur enim vinea ipsorum. Vide quomodo dicat ad discipulos: Præpara te, manè surge: manè expecta resurrectionem. Et deinde secundum eandem scripturæ seriem dicit: Propterea expecta me dicit dominus, in diem resurrectionis meæ, in Martyrion. Vides quod & locum resurrectionis pręuidit propheta, Martyrion vocandum? Qua ratione enim nõ secundum reliquas Ecclesias Golgothę, etiam hic resurrectionis locus, ecclesia vocatur: sed & Martyrion? Verùm id fortè propter Prophetam dicentem? In diem resurrectionis meæ, in Martyrion. Et quis est ergo hic: aut quod signum resurgentis? Apertè in sequentibus eiusdem contextus prophetæ, inquit: Quia tunc cõuertam super populos linguam. Cùm post resurrectionem misso spiritu sancto, data est gratia linguarum, vt seruiant domino sub iugo vno. Et quod aliud Symbolum in eodem propheta additur, seruiendi Domino sub iugo vno. Et ex finibus fluuiorum AEthiopiæ, adferẽt sacrificia mihi. Scis quòd scriptum est in actis: Quòd venit Eunuchus AEthiops à finibus fluuiorum AEthiopiæ. Cùm igitur & tempus, & loci proprietatem, cùm & post resurrectionem signa recitant scripturæ, persuadeas deinceps certò tibi resurrectionem: & nemo te commoueat, vt non confitearis Christum, à mortuis excitatum. Accipe quoq; testimonium ex octogesimo septimo Psalmo, Christo loquente per prophetas: ipse enim qui tum loquebatur, deinceps aduenit.

Hortus erat locus crucifixi.

Martyrion locus resurrectionis.

aduenit. Domine Deus salutis meæ, in die clamaui, & nocte coram te. Et post pauca: Et factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber. Non dixit, sine adiutorio: sed sicut sine adiutorio. Etenim crucifixus est, non ex infirmitate, quasi id euadere non posset, sed voluntariè: non ex infirmitate, sed voluntaria fuit mors. AEstimatus sum cum descendentibus in lacum. Et quod huius signum: Longè fecisti notos meos à me: Fugerunt enim discipuli. Nunquid mortuis facies mirabilia? Deinde post pauca: Et ego te domine clamaui, & manè oratio mea præueniet te. Cernis quomodo manifestant & tempus, & horam passionis, & resurrectionis.

Et vnde resurget saluator? Dicit in Cãticis canticorum: Surge propera amica mea, & in sequentibus: In foraminibus petræ, foramen petræ dicit id, quod tunc ante ostium saluatoris monumenti erat foramen, ex eadem petra, sicut hîc solet esse ante monumenta excisum. Nunc enim non apparet: quoniam erasum est vestibulum, propter præsentem ornatum. Nam ante regalem hunc ornatum & apparatum sepulchri, vestibulum erat ante petram: Sed vbi est petra, quæ habuit vestibulum. Nunquid in his, quæ sunt circa ciuitatem posita, aut circum muros, & circa monumenta. Et vtrùm in antiquis muris est, aut in his, qui posterius facti sunt, antemuralibus? Dicit igitur in Canticis: In cauerna macerię habentis petras.

Quo tempore exurget saluator: nunquid æstatis tempore, vel alio? In eisdem Canticis, ante illa quæ dicta sunt, statim dixit: Hyems transijt, imber abijt, & recessit. Flores apparuerunt in terra, tempus putationis aduenit. Nunquid non plena nunc est terra floribus, & putãtur vineæ? Cernis quomodo apertè & hyemem dixit præterijsse? Aprili enim mense instante, iam ver est reliquum. Quod tempus est hic mensis apud Hebræos primus, in quo festum Paschæ prioris erat typicæ, nunc verò est veræ, Hoc tempus est creationis mundi: Tunc enim dixit Deus: Producat terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus. Et nunc cernis, quòd deinceps omnis herba seminat. Et sicut tunc dominus faciens solem & lunam, æquinoctiales cursus illis contulit: sic ante paucos dies æquinoctij fuit tempus: Tunc dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem nostram, & similitudinem. Et quod quidem erat ad imaginem, retinuit, quod autem ad similitudinem, propter inobedientiam obscurauit. Quo tempore itaq; euersio fuit, eodem rursus facta reparatio. Quando creatus homo, non obsequens eiectus est è paradiso: tunc ille

Resurrectionis tempus prædictum.

Vir tempus creationis.

qui credidit,obediens introductus est.Tunc igitur facta est salus, quando & lapsus. Quando flores apparuerunt, & putatio aduenit.Hortus erat locus sepulchri, & vinea plantata. Ego sum vinea,inquit.Insitus est igitur in terra, vt eradicetur illa, quæ per Adam facta est, maledictio. Spinas & tribulos vt ferret terra decretum erat.Orta est de terra vinea, vt impleretur quod scriptũ est:Veritas de terra orta est,& iusticia de cœlo prospexit.Et quid dicturus est, qui sepultus est in horto: Messui myrrham meam cum aromatibus meis.Et rursus: Myrrha aloë omnibus primis vnguentis.Hæc autem sepulturæ sunt symbola.Et in Euangelijs dictum est.Venerunt ad monumentum, ferentes, quæ præparauerant aromata. Et Nicodemus ferens mixturam myrrhæ & Aloës, deinde scriptum est: Comedi panem meum cum melle meo.Amarum ante passionem,& dulcè post resurrectionem.

Posteà resurgens,ingressus est per ostium clausum,sed diffidebant:existimabant enim spiritum se videre.Ille autem, Tangite,inquit, & videte digitis locum clauorum, quod perquirebat Thomas.Et adhuc non credentibus ipsis præ gaudio, & admirantibus,dixit ipsis:Habetis hîc aliquid quod mãducetur? Illi autem dederunt illi de fauo mellis.Cernis quomodo impletum est:Comedi panem meum cum melle meo? Sed antequàm ingrederetur ipse per portas clausas, quæsitus est ab optimis illis & fortibus mulieribus ille sponsus,& medicus animarum.Venerunt illæ beatæ ad sepulchrum, & quęrebant eum, qui iam resurrexerat.Et eruperunt illis lachrymæ de oculis,Gaudere potiùs & lætari conuenit de resurgente.Venit Maria quærens,vt est in Euangelio,& non inuenit. Et posteà audiuit ab angelis vbi esset: atq; vidit deinceps dominum.Nunquid & hæc scripta sunt? Dicit in Canticis canticorum:In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea. Maria,inquit, venit cùm adhuc tenebræ essent.In loco meo quæsiui,per noctes quæsiui illum,& non inueni.Et in Euangelijs dicit Maria: Tulerunt dominum meum,& nescio vbi posuerunt eum.Sed angeli præsentes vbiq; curant ignorantias.Dixerunt enim: Quid quæritis viuentem cum mortuis.Non solùm enim surrexit: sed & mortuos habens surrexit. Ignorans autem illa dixit, tanquàm in persona illius Canticum canticorum: Num quem diligit anima vidistis? Paululum cùm trãsissem eos(hoc est, illos duos angelos) inueni illum, quem diligit anima mea.Tenui eum, nec dimittam. Post visionem enim angelorum, ipse se annuntians IESVS venit, vt inquit Euangelium:Et ecce IESVS occurrit illis,dicens:Saluete. Illæ autem

Angeli præsẽtes vbique.

acce-

accedẽtes, tenuerunt pedes eius: Tenuerunt illũ,vt impleretur: Tenui eum,nec dimittam. Infirmum quidem muliebre corpus, virilis autem prudentia. Aqua multa non extinxit dilectionem, neq; flumina demerserunt.Mortuus erat qui quærebatur:sed nõ est extincta spes resurrectionis. Et angelus ad ipsas dixit : Ne timeatis vos:non dico militibus,ne timeatis,sed vobis.Illi timeãt, vt experientia discentes,testentur & dicant: Verè Dei filius erat. Vos autem non est necesse timere: Perfecta enim charitas, foràs mittit timorem. Ite & dicite discipulis eius quia,surrexit &c. Et exierunt illę cum gaudio,non sine timore.Nunquid & hoc scriptum est?Dicit psalmus secundus,qui passionem Christi annuntiat:Seruite domino in timore,& exultate ipsi cum tremore.Exultate quidem propter resurgẽtem Christum: cum tremore autem, propter terræmotum, & angelũ sicut fulgur apparentem.

Obsignauerant igitur Principes sacerdotum & Pharisæi per Pilatum sepulchrum: mulieres autem viderunt resurgentem. Et hoc cognoscens Esaias, Principum quidem sacerdotum vilitatem: mulierum autem robur fidei,dicit: Mulieres venientes à visione,venite:populus enim est non habens intellectum: summi sacerdotes nõ intelligunt:& ipse mulieres conspiciunt. Nam cùm venerant milites ad illos, & annunciarent omnia quæ facta erant:dicunt ipsis principes sacerdotum: Dicite,quòd discipuli eius nocte venientes,furati sunt illum nobis quiescentibus. Benè igitur sicut de ipsis prædixit Esaias.Sed dicite nobis,& annũtiate alium errorem.Excitatus est resurgens, & dederunt argentum. Corruperunt milites, sed non corruperunt eos qui nunc sunt reges.Nam illi quidem milites propter argentum prodiderunt veritatem: isti autem qui nunc sunt reges pietatis ergô,argento induentes & auro, sanctam hanc Ecclesiam resurrectionis saluatoris,in qua nunc sumus,extruxerunt, & argenteis monimentis splendidam effecerunt. Etsi hoc auditum fuerit à præside,nos suadebimus ei. Illis quidem militibus persuasistis: orbi autem terrarum non persuasistis. Quare sicut Petro de custodia exeunte,condemnati sunt custodes, sic etiam qui IESVM custodiebant, non sunt condemnati ? Sed illi quidem ab Herode mulctati sunt, & ignorantia facti nullam defensionem reperiebant:isti autem scientes veritatem,& ipsam occultantes propter argentum,à principibus sacerdotum seruati sunt.

Pietatis causa reges ædificabant Ecclesias.

Ac pauci quidem tunc ex Iudæis crediderunt:mundus autem obediuit. Qui occultabant veritatem,absconditi sunt.Et qui receperunt ipsam,illustrati sunt virtute saluatoris: qui non modò

ipse à mortuis resurrexit: sed & mortuos secũ excitauit. Ex quorum persona Oseas propheta inquit: Sanctificabit nos post duos dies, in die tertia resurgemus, & viuemus in cõspectu eius. Cùm itaq; persuadeant scripturæ nolentibus audire Iudæis, cumque obliuiscentes omnium quæ scripta sunt, contradicunt resurrectioni Christi, bonum esset ad eos sic dicere: Qua ratiõe Eliseum & Eliam mortuos excitasse asserentes, resurrectioni nostri saluatoris contradicitis? Sed dicent: Quòd nunc viuentes ex illis, qui tunc erant testes dictorum, non habetis. Itaq; constituite & vos eorum, quæ tunc facta sunt, testes. Quòd si illud scriptum est, etiam hoc scriptum est. Quare hoc quidem recipitis, illud autem reijcitis? Hebræi scripserunt illa: & apostoli omnes erant Hebræi. Cur igitur non creditis. Matthæus scribẽs Euangelium, Lingua Hebraica illud scripsit: Et paulus prædicator gentium Hebræus ex Hebræis. Deinde & hic Episcopi Hierosolymitani, ex Hebræis per successionem constituebantur. Qua ratione igitur recipitis propria, & nostra reprobatis? etiamsi ipsa quoq; sint ab Hebræis scripta.

Matthæi Euãgelium Hebraicè.

Sed impossibile, dicet aliquis, mortuos resurgere: Attamen Eliseus mortuũbis excitauit, & viuens, & mortuus. Si credimus, quod Eliseum, cum esset mortuus, attigit mortuus, & resurrexit: Christus autem à mortuis non excitatus est? Sed ille quidem Eliseum illic mortuus attingens resurrexit: ipse tamen excitans mansit nihilominus mortuus. Hic autem & mortuus noster ipse resurrexit, & multi neq; attingentes eum, mortui resurrexerunt. Multa enim corpora sanctorum, qui obdormierant, resurrexerunt. Et exeuntes de monumentis, post resurrectionẽ ipsius ingressi sunt in sanctam ciuitatẽ. Manifestum autẽ, quòd in hãc, in qua nũc sumus: & apparuerũt multis. Excitauit igitur Eliseus mortuum, sed non subegit terram: excitauit Elias mortuum, sed non in nomine Eliæ demonia eijciebantur. Non maledicimus prophetas: sed magis dominum illorum laudamus. Non enim illis detrahentes, nostra veneramur: sed ex illis, quæ tum fuerant, nostra confirmamus.

Sancta ciuitas Hierusalem etiamsi Christum crucifixerit.

Sed rursus dicent: Mortuus quidem, qui recens obierat, à viuente excitatus est: mõstrate autem nobis, quod contigerit, mortuum triduanum resurgere, & si fieri potest vt homo sepultus post triduum resurgat. Quærentibus autem nobis de talibus testimonium, dat illud nobis ipse dominus IESVS in Euangelijs, dicens: Sicut Ionas erat in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctib⁹: sic erit filius hominis in corde terræ tres dies, & tres noctes.

Per-

Perquirentibus nobis hanc de Iona enarrationem, multa est vis similitudinis. IESVS missus est prædicare pœnitentiam: & Ionas quoq; erat missus. Sed ille quidem fugit, ignorans quid esset futurum, hic autem voluntariè persistit in pœnitentia salutis. Ionas obdormiuit in naui, & stertebat in maris tempestate: Et IESV per prouidentiam obdormiente, concitatum est mare, vt posteà virtus dormientis agnosceretur. Illi dixerunt: quid stertis? Surge & inuoca Deum tuum: si quomodo serues nos: Hîc autem dicunt domino: Domine serua nos. Illic dicunt, inuoca Deum tuum: hîc autem serua. Ac ille quidem dixit: Tollite me, & proijcite in mare, & quiescet à vobis mare. Hic autem ipse increpauit ventos & mare, & facta est tranquillitas magna. Ille quidem proiectus est in ventrem ceti: hic autem descendit sponte, vt eximeret, qui submersi fuerant in morte, sicut scriptum est: De manu inferni liberabo illos, & de morte redimam illos. Cùm in hac oratione sumus. Cõsideremus, quid est durius, hominem sepultum de terra resurgere: aut hominem in ventre ceti, in tantam animalis caliditatem deuenientem, non marcescere. Quis nescit, ventres tantum habere intus calorem, vt ossa etiam deuorata digerant? Quomodo igitur Ionas in ventre ceti tribus diebus existẽs, non emarcuit? Quomodo autem, cùm ea sit hominum natura omnium, vt sine hac aëris respiratione non possint viuere: ille per tres dies hunc aërem non spirans, vixit? Sed respondent Iudæi & dicunt: Subuenit Ionæ virtus Dei. Quid ergo, seruo quidem suo submittens virtutem, vt viueret effecit dominus, ipse autem hoc sibi ipsi exhibere non poterit? Si credibile illud, & hoc credibile: si hoc incredibile, & illud incredibile. Mihi quidẽ vtraque simul sunt fide digna: Credo enim quòd Ionas sicut Lazarus custoditus est: Omnia enim sunt possibilia apud Deum. Credo quod Christus à mortuis excitatus est. Multa enim & de hoc habeo testimonia, & ex diuinis scripturis, & ex hac in hodiernum vsq; diem, illius resurgentis operatione.

Solus hic quidem descendit ad inferos, cùm multis autem inde ascendit. Descendit in mortem solus, & multa corpora quiescentium sanctorum excitauit. Exterrita est mors, videns nouum quendam descendentem in infernum, vinculis quæ illic sunt, non ligatum. Qua de causa, ô portæ inferi, hunc videntes exhorruistis? quis insuetus vos cepit timor? Fugit mors, & fuga timiditatem arguebat. Accurrerũt sancti prophetæ, Moyses legislator, Abraham, Isaac & Iacob, Dauid & Samuel, & Esaias, & Ioannes baptista, dicens & testificans: Tu es, qui venturus es? an alium ex-

Mortis terror Christus

pectamus? Redempti sũt omnes sancti, quos deuorauerat mors. Decebat enim prædicatum regem bonorum præconum suorum esse redemptorem. Tum verò quilibet iustorum dicebat: Vbi mors victoria tua? liberauit nos victor. Huius saluatoris nostri typum gessit Ionas Propheta, de ventre ceti Deo supplicãs, & dicens Clamaui in tribulatione mea: ad dominum Deum meũ. Et postea: De ventre inferni. Quamuis enim in ceto erat, illic tamen existẽs, in inferno seipsum esse dicit. Typus enim erat Christi, in infernum descensuri. Et post pauca dicit ex persona Christi, iucundissima prophetans: Subijt caput meum in scissuras mõtium. Atqui in ventre ceti fuit, quales ergo te montes continebant? Sed scio dicit, quòd figuram gero eius qui in sepulchro exciso in petra ponendus est. Et in mari existens Ionas & dicens, descendi in terram: quandoquidem figuram Christi descendentis in cor terræ, gerebat. Et præuidens de Iudæis corrumpentibus milites, vt mentirentur, & dicentibus: Dicite, quòd furati sunt illum, inquit. Custodientes vana & falsa, misericordiam suam derelinquunt. Venit enim qui misertus est, & crucifixus est, & resurrexit: Dedit sanguinẽ suũ pretium pro gentibus & Iudæis. Illi tamen dicunt: dicite quòd furati sunt eum: Custodientes vana & falsa.

Ionas typus Christi.

De resurrectione ipsius Esaias dicit: Qui educit de terra pastorẽ ouiũ magnũ adiecit magnũ, vt ne præcedẽtibus alijs pastoribꝰ æqualis esse putaretur. Cùm igitur nos habeamꝰ prophetas, fides quoq; apud nos maneat. Cadant cadentes ex infidelitate, quoniam ita volunt. Tu verò stetisti supra petram fidei, quæ est de resurrectione: ne quando tibi hæreticus persuadeat diffamare resurrectionem. Nam Manichæi ad hodiernam vsq; diem, phantasticam dicunt, & non veram fuisse saluatoris resurrectionem, non audientes Paulum scribentem: Qui factus est de semine Dauid secundum carnem. Et rursus dicentem: Ex resurrectione mortuorum IESV Christi domini nostri. Et iterum longius producit ad eos sermonem: Ne dicas in corde tuo, &c. aut quis descendit ad abyssum, hoc est, Christum ex mortuis reducere. Et similiter confirmans alibi, rursus scripsit: Memineris IESVM Christum excitatum à mortuis. Et iterum: Si autem Christus nõ resurrexit, inanis est certè prædicatio nostra, vana & fides nostra. Inueniremur autem & falsi testes Christi: quoniã testimonium diximus aduersus Deum, quòd suscitauerit Christum, quem nõ excitauit. Sed posteà dicit: Nunc verò Christus resurrexit à mortuis, primitiæ morientium, & apparuit Cephę, posteà duodecim:

Manichæi negant Christi resurrectionẽ

Si enim

Si enim vni testi non credis, habes duodecim testes. Deinde apparuit plus quàm quingentis fratribus simul: Si illis duodecim, nõ credunt, quingentes testes recipiant. Posteà visus est à Iacobo fratre suo, primo huius parætiæ Episcopo. Talis igitur Episcopi, qui ipse coram vidit resurrexisse IESVM, tu cùm sis discipulus, ne diffidas. Sed dices, quòd Iacobus frater, ad gratiam testatus est? Visus est posteà & Paulo inimico. Quale autem sit hostis testimonium scitis: & adhuc de hoc præconio dubitatis? Qui priùs persecutor eram, nunc vobis annuncio resurrectionem.

Iacobus primus Hierosolymorum Episcopus.

Multi sunt testes saluatoris resurrectionis. Nox & plenilunij lumen: sexta decima enim nox erat. Petra monumenti, quæ eum suscepit: Et lapis hic statuetur contrarius Iudæis, ipse enim vidit dominum. Et lapis qui tunc erat reuolutus, ipse testatur resurrectionem, vsq; ad hodiernum diem relictus. Angeli Dei præsentes, testati sunt de resurrectione vnigeniti. Petrus, & Ioannes, & Thomas, & reliqui omnes apostoli: alij quidem ad sepulchrum currentes, & linteamina sepulturę, quibus inuolutus erat, priùs istic posita post resurrectionem, videntes: alij verò manus & pedes eius attingentes, & stigmata clauorum perspicientes. Simul autem omnes salutari insufflatione perfruentes: & potestatem remittendi peccata in virtute spiritus sancti accipientes. Mulieres, quæ apprehenderant pedes, tremoris terræ magnitudinem, & angeli præsentis splendorem cernebant, & ea quibus erat circundatus: Linteamina quæ reliquit resurgens: Milites, & argentum illis donatum: Et locus adhuc apparens: Et sanctæ huius Ecclesiæ hæc domus. Quæ voluntate Christi studiosa à beatę memorię Constantino Imperatore ædificata, & vt cernis ornata est. Testatur resurrectionem IESV & illa, quæ in nomine eius à mortuis excitata est Tabitha. Quomodo enim nõ credetur Christus resurrexisse, cùm & nomen eius mortuos excitet. Testatur resurrectionem Christi & mare, sicut anteà audisti, testatur piscium captura, & carbones positi, superpositus piscis: Testatur Petrus, qui anteà quidem negauerat, posteà verò ter confessus est: Et pascere oues spirituales iussus. Stat ad hodiernam vsque diem mons oliuarum, qui ascendentem in nube, oculis fidelium modò non monstrat, & portam, qua in cœlum ascendit, indicat. De cœlo enim in Bethlehem descendit: de monte autem oliuarum in cœlos ascendit. Illic maximum certamen incepit: hîc autem post certamina coronatus est.

Constantin? Ecclesiã Hierosolymis ædificat.

Oues spirituales.

Multa itaq; habes testimonia. Habes resurrectionis locum, habes eum, qui nobis ad orientem est, ascensionis locum, habes testes,

teſtes,qui illic teſtabantur,angelos & nubem, in qua aſcendit,& diſcipulos inde deſcendentes. Ac doctrinæ quidem fidei conſequentia,vt de aſcenſione diceremus,monebat:ſed diuina diſpenſatione factum eſt, vt plurima ſecundum exiguitatem noſtram, heſterno die dominico per Dei gratiam audiueris, in ſynaxi lectionum, quæ ex ordine ſequũtur, & ea quæ ſunt de aſcenſione in cœlum ſaluatoris noſtri, continent. Dicta ſunt illa maximè propter omnes, & ſimul propter multitudinem fidelium, præcipuè verò propter te. Quæritur autem, num attendas dictis. Scio enim quòd progreſſus fidei docet te credere in reſurgẽtem tertia die, & aſcendentem in cœlos, & ſedentem in dextera patris. Quamuis autem meminiſſe te puto illius fidei ſeriem: nihilominus tanquàm in tranſcurſu mentionem facio dictorum. Recordare,quòd ſcriptum eſt apertè in pſalmo: Aſcendit Deus in Iubilo. Recordare, quòd & diuinæ virtutes adinuicem dicunt: Tollite portas principes veſtras, &c. Memineris pſalmi dicentis: Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem. Memineris dicentis Prophetæ: AEdificans in cœlum aſcenſionem ſuam, &c. quæ dicta ſunt heri, propter Iudæorum contradictiones. Quando enim tanquàm impoſsibili aſcenſioni ſaluatoris contradicunt,reduc in memoriam, quæ de tranſlatione Abakum dicta ſunt. Si enim Abakum tranſlatus eſt, coma capitis portatus: quãtò magis prophetarũ & angelorũ dominus,de mõte oliuarũ per nubem aſcendens, propria virtute aſcendere in cœlum potentior erat? Ac ſimilia quidem memineris eiuſmodi rerum admirandarum, excellẽtiam autem tribue ſoli mirabilium effectori domino. Illi enim ferebantur:hic autem omnia fert. Memineris quòd Enoch tranſlatus eſt: ſed IESVS aſcendit. Memineris quæ heri de Helia dicta ſunt: Quòd Helias quidem curru igneo aſſumptus eſt. Chriſti autem currus variè multiplicatus, myriadibus benedicentium: Currus Dei decem millia millium lætantium. Et quòd Helias quidem ad orientem Iordani, Chriſtus autem ad orientem torrentis arborum aſcendit. Et quod ille quidẽ dixit,dabuntur duplicia in ſpiritu proprio diſcipulo. Chriſtus autem tantam exhibuit diſcipulis gratiæ ſpiritus ſancti abundantiam:vt non modò ipſum ſpiritum ſanctum in ſeipſis haberent: ſed per manuum impoſitionem ipſorum,participationem ipſius credentibus traderent.

Synaxes die dominico fieri ſolitæ.

Aſcenſionis teſtimonia.

Et cùm ſic contra Iudæos pugnabis, cùm ex ſimilitudinibus illos conuiceris:tũc veni ad excellentiam gloriæ ſaluatoris,quòd illi quidem ſerui,hic autem filius Dei:atq; illius excellentiæ memineris,

mineris, intelligens quòd Paulus Christi seruus in tertium cœlum raptus est. Si enim Elias quidem ad primum vsq; peruenerat cœlũ, Paulus vsq; ad tertiũ, excellẽtiorẽ sanè assecutus est dignitatẽ. Nõ pudeat te apostolorũ, nõ sunt Moyse deteriores, neq; Prophetis ĩferiores, sed boni cũ bonis, & bonis meliores. Eliasenim assũptus est in cœlũ: sed Petrus habet claues regni cœlorũ, cùm audiret: Et quæcunq; solueris super terram, erunt soluta & in cœlo. Helias in cœlum tantùm: Paulus autem & in paradisum raptus erat. Decebat enim Christi discipulos, ampliorem gratiã capere. Audiuit sanè ineffabilia verba, quæ non licet hominibus loqui. Descendit autem Paulus rursus: non quòd dignus non esset conuersatione tertij cœli: sed vt gustatis supercœlestibus, & honoratus descendens, Christum prædicaret, & pro ipso moriẽs, corona martyrij potiretur.

Petrus habet claues regni cœlorum.

Prętereo autem reliqua huius negotij, quæ heri in Synaxi dominicæ dicta sunt: apud intelligentes enim auditores sufficit vel admonitio tantùm ad doctrinam. Meminero autem sæpè dictorum à nobis, propter ordinem Fidei dicentem: Et eum qui ascendit in cœlos, & sedet ad dexteram patris. Throni quidem illius proprietatem non curiosè inquirimus, incomprehẽsibilis enim est. Neq; patiamur eos qui dicunt malè, quòd post crucem, & resurrectionem, & in cœlos ascensionem. Tunc primum cepit ad dexteram patris sedere Christus. Non enim per succesionem habuit hanc sedem: sed ex quo est: est autem semper genitus, & assidet patri. Et hunc thronum, ante saluatoris aduentum in carne videns Esaias propheta, dicit: Vidi dominum sedentem super thronum excelsum eleuatum, & cætera. Patrem quidem nemo vidit vnquam: qui autem prophetæ tunc apparuit, filius erat: Et Psaltes dicit: Parata sedes tua ex tunc, & à seculo tu es. Cùm autem multa sint ea de re testimonia, propter horæ breuitatem his erimus contenti.

Thronus Christi incõprehensibilis

Filius & non pater Prophetis apparebat.

Porrò nunc vobis paucis reducẽdum est in memoriam, quod inter multa dictum est, de sessione filij ad dexteram patris. Centesimus enim nonus Psalmus dicit apertè: Dixit dominus domino meo, sede ad dexteram meam: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Confirmans autem quod dictum est saluator in Euangelijs, dicit non à seipso hæc Dauidem, sed inspiratione spiritus sancti locutum esse. Quomodo Dauid in spiritu eum dominum suum vocat, dicens: Dixit dominus domino meo, sedè à dexteris meis: donec ponã inimicos tuos scabellũ pedum tuorum. Et in actis Apostolorum, in die Pẽthecostes: Stans

Petrus cum vndecim, & differens Israëlitis, testimonij huius ex centesimo nono psalmo meminit. Reducenda autem in memoriam & alia pauca testimonia, quę similiter ad dexteram patris sedere filium testantur. In Euangelio enim secundum Matthęum scriptum est: Amplius dico vobis: amodò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis, &c. Qualia congruè Petrus Apostolus scribens, dicit: Per resurrectionem IESV Christi, qui est in dextera Dei, profectus in cœlũ: Paulꝰ verò apostolus amplius ad Roma. scribẽs, dicit: Christꝰ mortuus, magis autẽ resurgẽs, qui est ad dexteram Dei. Ephesijs autem scribens, dixit: Secundum operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans eum à mortuis, & statuens ad dexteram suam &c. Colossenses autem sic docuit: Si igitur consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quęrite, vbi Christus est, in dextera Dei sedens. In Epistola autem ad Hebræos, dicit: Purgationem peccatorum nostrorum faciens, sedet ad dexteram magnificentiæ, in excelsis. Et rursus: Ad quem angelorum vnquàm dixit: Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Et rursus: Hic autem vnam pro peccatis offerens hostiã, in sempiternum sedet in dextera Dei, de cætero expectans: donec ponantur inimici eius, scabellum pedũ eius. Et rursus: Aspicientes in fidei ducem, & consummatorẽ IESVM, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem confusione contempta, in dextera throni Dei sedit. Et cùm alia quoq; eiusmodi non desint testimonia, de sessione vnigeniti ad dexteram patris, sufficiant nobis ad præsens hæc, quorum hîc fecimus commemorationem, & confitemur, quòd non post aduentum in carne, hanc Christus habet dignitatem, sed ante omnia secula, vnigenitus filius Dei, dominus noster IESVS Christus, qui descendit & ascendit, patri à dextris semper assidebat. Qui custodiat animas vestras, & stabilem vestram, immutabilemq; spem in eum, qui resurrexit conseruet. Simulq; excitet vos à peccatis, ad cœleste suum donum. Et dignetur efficere, vt rapiamini à nubibus in occursum domini, in aërem, in tẽpore opportuno: & donec tempus illud veniat, glorioſi alterius illius aduentus. Scribantur nomina vestra omnia in libro viuentium, & scripta nunquàm deleantur. Multorum enim delebuntur, qui desciscunt. Prębeat autẽ omnibus vobis credere in resurgentem, suscipere ascendentem, & rursus venturum. Venturum autẽ non de terra. Certus sis homo, propter multos seductores, qui venturi sunt. Qui sursum sedet, & hîc nobis adest: qui vniuscuiusq; videt ordinem, & robur fidei.

Christum ad dexteram Dei sedere testimonia.

Non

Non enim quia nunc non adest in carne, ex eo putes, quòd spiritu medio hîc non adsit, audiens, quæ de illo dicuntur, & videns quæ tu cogitas, & scrutans corda & renes: Qui & nunc paratus est, accedentes ad baptisma omnes vos in spiritu sancto offerre patri & dicere: Ecce ego & pueri mei, quos dedisti mihi Deus: Cui gloria & fortitudo in serpiterna secula, Amen.

Christi præsentia per spiritum.

CATECHESIS QVINTA ET DECIMA, EX *tempore dicta his qui baptizabantur Hierosolymis, de eo, Qui venturus est iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis: & de Antichristo. Et lectio ex Daniele: Quousq; Throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, &c.*

HRISTI aduentum annunciamus, non vnum tantùm, verùmetiam alterum, priori multò pulchriorem. Ille enim speciem habuit patientiæ: hic autem diuini regni feret coronam. Nam vt plurimum duplicia sunt omnia, apud dominum nostrũ IESVM Christum: Duplex generatio, vna de Deo ante secula, & altera de virgine: Duplex aduentus, vnus occultus, qui est sicut pluuia in vellus: & alter illustris, qui est futurus. In primo aduentu fascijs inuolutus est in præsepio: In altero, circundabitur lumine sicut vestimento. In priore sustinuit pudoris crucem, cõtemptus: In altero, veniet, cum exercitu angelorum, gloriosus. Non subsistamus ergo in primo tantùm aduẽtu: sed & futurum expectemus. Et in priori quidem dicebamus: Benedictus qui venit in nomine domini: in posteriori verò, dicemus rursus idem, & cum angelis occurrentes domino, adorantesq; clamabimus: Benedictus qui venit in nomine domini. Veniet saluator, non vt rursus iudicetur: sed vt iudicet iudicantes. Qui priùs in iudicio tacebat, commemorans deinceps dicit iniquis: Hæc fecisti & tacui. Per dispensationem Dei tunc veniet. Nunc persuadet tantũ docens homines: tunc autem velint nolint, regno illius subiecti esse cogentur. Et de his duobus aduentibus dicit Malachias propheta: Et subitò veniet in templum suum dominus, quem vos quæritis: ecce vnus aduentus. Et rursus de altero dicit: Et angelus testamenti, quem vos vultis: ecce veniet dominus omnipotens, & quis sustinebit diem ingressus eius: aut quis subsistet in visione eius. Quapropter ipse procedet sicut ignis conflatorij, & sicut fullonũ herba, & sedebit conflans, & emũdans. Et deinde saluator ipse ait: Accedã ad vos in iudicio, & ero testis velox super veneficos, & adulteros, & supiurãtes nomini meo de mẽdatio, &c.

Aduentus Christi duplex.

Aduentus secundus cum igne.

Propterea certiores nos faciés Paulus, Si quis, inquit, superædificat sup hoc fundamẽtum, aurũ, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenũ, stipulam: vniuscuiusq; opus manifestũ erit: dies enim reuelabit, quæ in igne apparebit. Vidit aduentus hosce duos, & Paulus ad Titum scribens: Apparuit enim gratia Dei saluatoris omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & mundana desideria, sobriè, & iustè viuamus in præsenti seculo: expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & saluatoris nostri IESV Christi. Cernis quomodo dixit: Primum quidem, quem iam beneficio Dei habemus, & pro quo gratias agimus: alterum verò, quem expectamus. Quamobrem & fide à nobis annuntiata, nunc ita traditur: Credere in ascendentem in cœlos, & sedentem ad dexteram patris, & venturum in gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis.

Mundus denuò renouabitur.

Veniet igitur dominus noster IESVS Christus de cœlis: veniet autem in consummatione mundi huius: & creatus hic mundus rursus renouabitur: quoniam corruptio, & furtum, & adulterium, & omne genus peccatorum effusum est in terram, & sanguis cum sanguinibus commixtus in mundo: vt non maneat admiranda hæc domus plena iniquitate. Pertransibit hic mundus, vt pulchrior restituatur. Et vis accipere ex dictis sacris huius rei demonstrationem? Audi Esaiam dicentem prophetam: Et complicabitur sicut liber cœlum, & omnia astra cadent sicut folia de vinea, & sicut cadũt folia de ficu. Et Euangelium, inquit: Sol obscurabitur, & luna non dabit splendorem suum, & astra cadent de cœlo. Non tristemur tanquàm soli morientes: cùm & astra moriantur, fortasseq; rursus excitabuntur. Complicabit autem cœlos dominus, non vt perdat eos, sed vt rursus meliores illos excitet. Audi prophetã Dauid dicentem: Ab initio tu domine terrã fundasti, & opera manuũ tuarũ sunt cœli: ipsi peribunt, tu autẽ permanes. Sed dicet quis: Ecce dicit apertè, peribũt. Audi quomodo peribũt, statim declarat dicẽs: Et omnes sicut vestimẽtum veterascent, & sicut opertoriũ cõplicabis eos, & mutabũtur. Sicut enim perditio hominis dicitur, ita dictũ est: Vide sicut iustus perijt, & nemo id accipit in cor: Et hoc ita, vt resurrectio nostra expectetur: sic & cœlorũ resurrectionẽ expectamꝰ. Sol cõuertetur in tenebras, & luna in sanguinẽ. Discãt illi, qui ex Manichæis cõuersi sũt, & luminaria nõ faciãt Deos, neq; eũ, qui obscuratur, solẽ, Christum esse impiè putent. Et rursus audi dominum dicẽtem: Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt: non enim æquali honore sunt creaturæ, & verba domini.

Sydera extincta rursus excitabuntur.

Tran-

Transibunt igitur visibilia, & venient expectata his meliora, sed tempus nemo curiosè inquirat: Non est enim nostrum scire tempora, & momenta, quæ Deus posuit in potestate sua. Neque audeas determinare, quando hæc fient, neq; rursus supinus iaceas. Vigilate, inquit: quia hora qua non putatis, filius hominis veniet. Cùm itaq; operæpretium est, nos signa consummationis nosse, quãdo Christum expectamus, vt ne decepti moriamur, & à falso antichristo seducamur: propria voluntate moti apostoli, diuina tamen ordinatiõe, accesserunt ad verum magistrum: Dic nobis, quãdo hęc erunt, & quod signum aduẽtus tui, & consummationis seculi. Expectamus te rursus venturum: sed Sathanas transformatur in angelum lucis: certifica ergo nos, ne alium pro te adoremus. Ille autem diuinum beatumque os suum aperiens, dicit: Videte, ne quis vos seducat: & vos auditores nunc mentis oculis tanquàm illum intuentes, hæc eadem vobis dicentem audite. Cauete ne quis vos seducat: qui sermo nos admonet, vt dicendis attendamus. Non enim historia est rerum pręteritarum, sed prophetia futurarum, & omninò venturarum. Non quòd nos prophetemus: indigni enim sumus: sed quòd quæ scripta sunt, in medium proferimus, & signa ostendimus. Considera itaq; & quę iam facta sunt, & quæ restant, atq; teipsum confirma. Videte ne quis vos seducat: multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, & multos seducent. Hæc facta iam sunt ex parte: iam enim hoc dixit Simon Magus, & Menander, & alij quidam impij hęresiarchę. Dicunt autem de nobis, aut etiam cum nobis alij. signum secundum. Audituri estis bella, & rumores bellorum. Erit enim fortè nunc Persarum contra Romanos de Mesopotamia bellum, aut nõ erit. Consurget gens contra gẽtem. Et regnum contra regnum. Et erunt fames & pestilentiæ, & terræmotus per loca. Hæc iam facta sunt. & rursus: Terrores de cœlo, & magnæ tempestates. Vigilate igitur, inquit: quia nescitis, qua hora dominus veniet.

Signa aduentus Christi.

Sed quærimus aduentus tui signum, nostrum Ecclesiasticum nos Ecclesiastici. Saluator autẽ dicit: Et tũc scandalizabũtur multi, & mutuò sese tradẽt, & odio sese mutuò prosequẽtur. Si audis quòd Episcopi cõtra Episcopos, & clerici cõtra clericos, & populi cõtra populos, vsq; ad sãguinẽ certãt, ne perturberis: prædictũ enim est: Nõ attẽdas his, quæ nũc fiunt, sed quę prędicta sũt. Ne si ego qui te doceo peream, tu non pereas simul. Sed licet & discipulos meliores esse magistris, & qui postremus venit, esse primũ. Quandoquidem & eos, qui hora vndecima veniunt recipiat dominus.

Discipulos licet esse meliores magistris

minus. In apostolis inuenta est proditio, & miraris si & in Episcopis fraternum odium reperiatur. Sed non modò de principibus hoc signum, verùmetiam de populis. Dicit enim, propter multiplicationem iniquitatis, refrigescet charitas multorum. Gloriatur quis ex his qui adsunt, non simulatam se erga proximum tenere amicitiam: nónne persæpè labijs amatur, & vultu arridetur, & oculi apparent hilares, cor autem nectit dolum, & machinatur mala, loquens pacifica. Habes & hoc signum. Et prædicabitur hoc euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gẽtib⁹: & tũc erit finis. Et ferè vt videmus, totus mũdus doctrina Christi repletus est. Et quid posteà fiet? Dicit deinde: Quando itaq; videritis abominationem desolationis, quæ prędicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto. Qui legit intelligat. Et rursus, si quis vobis dixerit: Ecce hîc est Christus, ecce illic, nõ credatis vos fratres. Fraternum odium deinceps locum dabit Antichristo. Præparat Diabolus schismata populorum, vt tantò facilius hostis recipiatur. Absit autem, vt quisquàm ex his, qui hîc adsunt, & ex alijs, vbicunq; sunt, seruis Christi, ad hostem illũ accurrat. De hoc scribens Apostolus, manifestum dedit signũ, dicens: Quòd nisi priùs venerit discessio, & reuelatus fuerit homo peccati & filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne, quod dicitur, Deus aut colitur ita vt ipse sedeat in tẽplo Dei, & ostendat seipsum, tanquàm sit Deus. Non retinetis memoria, quòd cùm adhuc essẽ apud vos, hęc dicebam vobis, & nũc quid detineat scitis, vt reueletur in suo tẽpore. Nã mysteriũ iam operatur iniquitatis, tantũ, vt qui tenet, nũc teneat, donec de medio fiat. Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem dominus destruet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui, eum cuius est aduentus secundum operationem satanæ, in omni virtute & signis & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis, his quæ pereunt. Hæc quidem Paulus.

Simulatio.

Apostasia qualis.

Nunc verò defectio est: defecerunt enim homines à recta fide, ita vt alij quidem ὑποστάσεως, hoc est, patris in filium mutationẽ prędicant, alij verò Christum ex non existentibus ad esse deductum dicere audent. Et antea quidem erant aperti hæretici: nunc autem occultis hæreticis Ecclesia repletur. Defecerunt homines à veritate, & pruriunt auribus: sermo persuasibilis, & omnes iucundè audiunt: sermo conuersionis, & omnes auertuntur. Defecerunt plurimi à bonis operibus: & videri potiùs quàm esse boni malunt. Hæc est igitur defectio, & expectandus est ille inimicus: & iam aliqua ex parte cœpit pręmittere suos pręcursores,

Apostasia à bonis operibus.

vt para-

vt paratus deinde veniat ad venationem. Caue itaq; tibi ô homo, & confirma animam tuam. Teſtatur tibi Eccleſia in conſpectu Dei viuentis, prædicit tibi de Antichriſto quæ futura ſunt, priuſquam veniat. Nec ſcimus ſi tuo tempore id fiet, ſed bonum eſt tamen, vt hæc ſcientes, nos præmuniamus. Chriſtus autem verus Dei vnigenitus filius, non amplius de terra veniet. Si quis veniat, in deſerto viſiones obſeruans, non exeas. Si dixerint, ecce hîc Chriſtus, ecce illic, ne credas, neq; deinceps infrà, & in terram reſpice. De cœlo enim veniet dominus: non ſolus, ſicut anteà: ſed cum plurimis, ab angelorum myriadibus comitatus: neq; occultatus, ſicut pluuia ſuper vellus: ſed ſicut fulgur manifeſtè relucens. Ipſe enim dixit: Sicut fulgur exibit ab oriente, & apparebit vſq; ad veſperam: ſic erit & aduentus filij hominis. Et rurſus: Videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli, cum poteſtate & gloria magna: Et mittet angelos ſuos cum tuba magna, &c. Sed ſicut cùm anteà ipſe incarnari deberet, & naſci de virgine, expectatus Deus, decipiebat diabolus, malus artifex in idololatria, proferens Deos falſos, generantes & genitos de mulieribus, vt prę̃miſſa falſitate, nõ credatur poſteà veritati: ſic cùm verus Chriſtus ſecundò venturus ſit, prætextum capiens ſimplicium expectationem, ille aduerſarius, & maximè eorum, qui ſunt ex circũciſione, inducet quendam magnum hominem, veneficijs & incantationibus, & malis artibus inſtructiſsimum: vſurpantem ſibi poteſtatem Romani Imperij, falsò autem Chriſtum ſeipſum vocantem: ac per hanc Chriſti appellationem Iudæos, qui venturum expectant, decipientem: Gentes verò per magicas impoſturas ſeducentem. Veniet autem hic prædictus Antichriſtus, cum impleta fuerint tempora Imperij Romani, & mundi conſummatio appropinquabit. Decem ſimul reges Romanorum excitabuntur, in diuerſis quidem locis, eodem tamen tempore regnantes: Poſt iſtos autem vndecimus antichriſtus, per magicũ maleficium Romanorum poteſtatem rapiens. Tres quidem ante ſe reges deprimet, reliquos autem ſeptem ſibi ſubijciet: Ac primùm quidem tanquàm prudens aliquis, & intelligens: temperantiam & humanitatem ſimulabit, ſignisq; & portentis, magica impoſtura decipiet Iudæos, tanquàm is eſſet Chriſtus ab illis expectatus. Deceptos verò, deinceps omnis generis inhumanitatis, & iniquitatis malis, omnes circumſcribet: ita vt omnes, qui ante illum improbi & impij fuerant, excellat malitia. Mentemq; habebit homicidiariam, præfractam, immiſericordem, & variam, cùm contra alios omnes, tũ verò maximè cõtra nos Chriſtianos.

Diaboli antes decipiendi.

Antichriſtus Romanũ imperium vſurpabit.

Antichriſtus 10 reges Romanorum opprimet & reliquis ipſe imperabit.

Tribus

Antichristus tribus tantùm annis & 6. mẽsibus durabit.

Tribus autem annis & sex mensibus talia audens, à secundo de cœlis glorioso aduentu vnigeniti filij Dei, & domino saluatore-que nostro IESV Christo deprimetur. Qui tollens Antichristum spiritu oris sui, igni gehennæ illum tradet.

Hæc autem docemus, non comminiscentes, sed è scripturis diuinis colligentes, & ex ea maximè, quæ nuper lecta est, ex Daniele propheta edocti: sicut Gabriel archangelus interpretatus est, dicens sic: Quarta bestia, quartum est regnum in terra, quod maius erit alijs omnibus regnis: hoc autem esse Romanorum, ecclesiastici interpretes tradiderunt. Primum enim erat regnum Assyriorum: alterum Mædorum simul & Persarum: Tertium posteà Macedonum: Quartum est nunc regnum Romanorum. Deinceps vero Gabriel interpretans dicit: Decem cornua ipsius, decem regna consurgent: post ista alter consurget, qui omnes ante se, malis vincet: neq; solùm illos decem reges, sed omnes qui ante se fuerunt. Et tres reges deprimet. Manifestum autem est, quòd ex istis decem tres opprimet, prorsus vt ipsemet octauus regnet: & verba faciet contra altissimum: vir blasphemus & iniquus: non à patribus accipiens regnum, sed arte magica principatum vsurpabit.

Interpretum Ecclesiæ vetus authoritas.

Quis autem hic est, & de qua operatione, interpretare nobis Paule: Cuius est, inquit, aduentus, per operationem Sathanæ: in omni potentia, & signis & portentis falsis. Hoc innuens, quòd Sathanas illo ipso vtetur organo, sua persona per illum operãs. Sciens Sathan, quòd non futura sit illi condonatio in iudicio: nõ iam amplius per suos ministros, vt consueuerat: sed per seipsum deinceps manifestius pugnabit, in omnibus signis & portentis falsis. Pater enim cùm ipse sit mendacij, non nisi opera mendacij effinget, vt magnificè videatur mortuos excitare, & claudos sanare, & cæcos illuminare: cùm tamen reuerà non fiat sanatio. Et rursus, inquit: Qui aduersatur & extollitur supra omnem Deũ, aut quod colitur. Idola scilicet odio habiturus est Antichristus: vt ipse in templo Dei sedeat. Quale autem templum dicit? In tẽplo quod reliquum est Iudæorum. Absit enim, vt in hoc id fiat, in quo sumus. Propterea dicimus, vt non videamur gratificari illis. Si enim tanquàm Christus ad Iudęos veniet, à Iudæis sanè adorari volet, vt illos maximè decipiat. Studiosissimum se esse ostendet illius templi, vt ipse de progenie Dauid esse videatur, qui templum à Solomone olim extructum, ipse sit reædificaturus. Veniet autem Antichristus in templum Iudæorum, quando lapis super lapidẽ non manebit, secundum saluatoris prędictionem.

Antichristus satanæ organum.

Antichristus in templo Solomonis, & non Petri sedebit

Cùm

Cùm enim vel ruina vetuſtatis, vel prętextu ædificationis, vel quacunq; alia de cauſa, eiuſmodi reliquiarum templi ſequetur diſſolutio, ita vt omnes lapides tollantur, non dico de exterioris ambitus lapidibus, ſed de templi interioris, in quo erant Cherubim: Tunc veniet ille in omnibus ſignis & portentis falſis elatus videntibus omnibus. A principio enim ſimulabit humanitatem, deinceps verò inhumanitatem oſtendet, & maximè erga ſanctos Dei.

Dicit enim Daniel: Videbam cornu illud, quod faceret bellum cum ſanctis Dei. Et rurſus alibi: Et erit tempus tribulationis: tribulatio qualis non fuit, ex quo facti ſunt homines in terra, vſq; ad tempus illud. Grauis eſt hæc beſtia, & draco magnus, pugnans contra homines, paratus ad deuorandum. De quo etſi plura ſint, quæ poſſemus dicere, his contenti ſimus tēporis cauſa. Propterea ſciens hanc aduerſarij magnitudinē, conſuluit dominus pijs, dicēs: Tunc qui ſunt in Iudęa, fugiāt in mōtes: Quòd ſi quis virium ſuarum ſibi cōſcius eſt, quòd poſsit Sathanę repugnare, perſiſtat. Neq; enim deſpero de robore Eccleſiæ, & dico: Quis nos ſeparabit ab amore Chriſti, & cætera. Attamen timidi ſibi caueant, audaces verò perſiſtant. Erit enim tunc tribulatio, qualis non erat ab initio creaturæ, vſq; ad pręſens, neq; deinceps erit. Sed Deo ſit gratia, qui magnitudinem tribulationis, exiguitate temporis circumſcripſit. Dicit enim, quòd propter electos abbreuiabuntur dies illi.

Regni Antichriſti tempus.

Regnabit autem Antichriſtus tribus annis & dimidio tantum. Quod nō ex libris apocryphis dicimus, ſed ex Daniele propheta. Dicit enim: Et tradentur in manu eius, vſq; ad tempus & tempora, & dimidium temporis. Tempus enim eſt vnus annus, in quo augebitur ipſius potentia: tempora autem, duo reliqui anni illius iniquitatis. Tribus verò his annis annumeratur dimidium temporis, quod eſt ſemeſtre. Et rurſus, alibi idem dicit Daniel: Et iurauit per viuentem in ſecula, quod in tempus & tempora, & dimidium temporis. Fortaſsis autem quidam & hoc exemerunt, & quę ſequuntur: Dies mille ducenti nonaginta. Et hoc: Beatus qui viderit dies trecētos, mille & triginta quinq;. Propterea oportet curſim inſpectare & fugere: Fortaſsis enim nō cōsūmabimus ciuitates Iſraël, donec veniat filius hominis. Nunquid autem non beatus martyr erit, qui tunc pro Chriſto martyrium pertulerit? Ego verò illum ſuper omnes martyres eſſe dixerim. Nam qui anteà pręceſſerunt, cum hominibus illis tantum certamen erit: qui verò tempore Antichriſti patiētur, perſonaliter

cum Sathana pugnabunt. Tum verò ſuperiores illos martyres, reges ſolùm occidebant: mortuos autem non excitabant, neq; ſignis & prodigijs phantaſiam cuiuſq; perturbabant, hic autem & timore, & neceſsitatis mala ſubuerſione: Vt ſeducantur, ſi fieri poteſt, & electi. Ne quando in cor aſcendat, quæ Chriſtus plura his fecerit.

Antichriſtus permiſſu Dei regnabit.

Qua autem virtute faciet hæc? certè niſi Deus vellet non permitteret. Certificat te Apoſtolus dicens: Propterea Deus mittet ipſis vim erroris. Mittet autem dicit, pro permittet fieri. Non vt excuſentur: ſed vt condemnentur. Quare qui non crediunt veritati, hoc eſt, vero Chriſto, complaceant ſibi in iniuſticia, hoc eſt, in Antichriſto. Permittet autem hæc Deus temporibus perſecutionum, non quòd tunc prohibere non poſſet, ſed quòd per patiẽtiã, vt cõſueuit, coronare vult ſuos athletas, ſicut & ꝓphetas & Apoſtolos: vt breuiter laborãtes, in æternũ hæreditent regnũ cœlorum. Sicut Daniel, inquit: Et in tempore illo, ſaluabitur vniuerſus populus tuus, qui ſcriptus eſt in libro. (Manifeſtum autẽ eſt, quod dicit de libro vitæ) Et multi qui dormiunt in puluere terræ excitabuntur, hi quidem in vitam æternam, iſti autem in opprobrium, & verecundiam æternam. Et docti fulgebunt ſicut ſtellæ firmamẽti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, ſicut aſtra in ſecula, & amplius. Confirma ergo teipſum, ô homo: indicati ſunt tibi dies Antichriſti: ergo non tantùm memineris illorum: ſed abſq; inuidia omnibus trade. Si filium habes ſecundum carnem, hoc iam inſinua. Quòd ſi quem etiam per Catecheſim genuiſti, & hunc præmunias, ne falſum tanquàm verum recipiat. Iam enim operatur myſterium iniquitatis. Terrent me bella gẽtium. Terrent me ſchiſmata Eccleſiarum: terret me odium fratrum. Et hęc quidem dicantur: Abſit autem, vt noſtro tempore impleantur. Attamen nos præmuniamus. Atq; hæc quidem de Antichriſto.

Catecheſis facit filios catechizantis

Suſcipiamus autem & expectemus dominum, de cœlis venturum in nubibus. Tubæ angelicæ tunc ſonabunt, & mortui in Chriſto primùm excitabuntur qui piè vixerunt, rapienturq; in nubibus, præmium laborum accepturi, ita vt ſupra hominem honorẽtur: quoniam ſupra vires humanas decertabant. Quemadmodum Paulus ipſe apoſtolus ſcribit: Quòd ipſe dominus, in iuſſu, & in voce archangeli, & in tuba Dei, deſcendet de cœlo: & mortui primùm reſurgent: deinde nos reliqui qui viuimus, ſimul cum ipſis rapiemur in nubibus, obuiàm domino in aërem, atq; ita ſemper cum domino erimus. Vidit hunc domini aduen-

tum

tum ecclesiastes,& mundi consummationẽ dicens:Lætare iuuenis in iuuentute tua,&c . & repelle iram à corde tuo , & arceas prauitatem à carne tua,& memento creatoris tui,priusquàm venerint dies vmbrę,priusquàm obscuretur Sol, & lumen & luna, & stellæ,& obtenebrentur cernentes. Visibilem potentiam per hoc innuens:Antequàm rumpatur funiculis argenteus: Astrorum complicationem indicans. Argentei enim est coloris visus: & recurrit vitta aurea.Instar auri solem innuẽs. Anthemis enim nota est herba, multa instar radiorum habens germina foliorũ.Et resurget ad vocẽ passeris,& de excelso videbũt.Tũc videbũt filiũ hominis venientem in nubibus,& cõcutiẽtur tribus contra tribus:Et quid fiet veniẽte domino:Florebit amigdalus, & impinguabitur locusta, & dissipabitur capparis. Quemadmodum verò interpretes dicunt,Amigdalum florens, hyemis transitum significat:sic & corpora nostra, post huius seculi hyemem florebunt,flore supercœlesti.Et dilatabitur locusta,hoc est,anima volucris,quæ nunc corpore est circundata: & dissipabitur Capparis:hoc est,iniqui,spinosi,dispergentur.Vides quomodo prædicunt aduentum domini.Vocem autem passeris, qualem esse vocem putamus?Ipse dominus in iussione,in voce archangeli,& in tuba Dei descendet de cœlo.Archangelus proclamabit, & dicet omnibus:Surgite in occursum domino.

Quòdautem terribilis sit futurus aduentus domini,dicit Dauid:Deus manifestè veniet, Deus noster,& non silebit. Ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida, &c. Veniet enim saluator in nubibus cœli, secundum scripturam nunc lectam,flumine ignis illum sequente,probaturo homines. Si quis aurea habet opera, lucidior erit: si quis straminеas habet actiones,non consistet,ab igne corripietur. Et pater sedebit habens album sicut nix vestimentum:& capillum capitis, sicut lana mũda.Humano more hæc dicta sunt.Sed quamobrem? Quoniam rex est illorum,qui in peccatis non sunt polluti. Dealbabo enim,inquit,peccata vestra, sicut niuem, & sicut lanam. Quod est condonationis peccatorum, vel quòd deinceps peccaturi nõ sunt,signum.Veniet autem dominus de cœlis in nubibus,qui in nubibus ascendit. Ipsa enim dixit: Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli,cum potentia & gloria multa.

Flumen ignis sequetur iudicem opera probaturum

Sed quod tandem aduentus illius signum est, quod non audeat virtus contraria imitari?Et tunc, inquit,apparebit signum filij hominis in cœlo. Signum autem verum & proprium Christi,est crux.Lucidũ crucis signũ prẽcedens regẽ,atq; demõstrãs eũ,

Crux signũ Aduentus Christi.

qui priùs fuerat crucifixus: vt videntes qui anteà illum pupugerunt,& illi insidiati sunt Iudæi: certent tribus cum tribubus,dicentes:Hic est alapis percussus: hic est,in cuius faciem spuebant illi:hic est,quem ligarunt:hic est,quem anteà crucifixum spreuerunt,quò fugiemus à facie iræ illius,dicent,cùm angelicis exercitibus circumdabuntur: nusquàm sanè fugere poterunt. Tremor est inimicis, signum crucis, & gaudium amicis in illum credentibus,vel qui prędicarunt,vel qui passi pro illo.Beatus certè, qui tunc amicus Christi reperietur. Non enim contemnet suos famulos rex tantus & glorioſus,ab angelis comitatus,qui assidet patri.Nam vt non commiscеantur hostes cum electis,mittet angelos suos cum tuba magna, & cõgregabunt electos eius, à quatuor ventis terræ.Vnum Loth in Sodomis non cõtempsit:quomodo multos iustos contemnet? Venite omnes benedicti patris mei: dicet illis, qui tunc curribus nubium vehentur, ab angelisque congregabuntur.

Crux est terror hostium.

Sed dicet aliquis, ex his qui adsunt: Pauper sum, & fortasis tunc infirmus in lecto reperiar.Si mulier in mola non relinquetur:nunquid nos negligemur?Confide homo, iudex hic non est acceptor personarum, non secundum opinionem iudicat, neque ex sermone redarguit: non prefert prudentes idiotis, neque diuites pauperibus. Etiamsi in agro fueris, reperient te angeli. Non putes, quòd magnates quidem accipient, te verò agricolam relinquent,siue seruus fueris,siue pauper, ne metuas: qui formam serui in se recepit,seruum non contemnet. Etiamsi æger in lecto iacueris: Scriptum est enim: Erunt duo in lecto vno, & vnus assumetur, & alter relinquetur. Etiamsi ex necessitate tradatur pistrino vir aut mulier,etiamsi liberos habeas, etiamsi pistrino seruias:non despiciet te, qui educit vinctos in fortitudine. Qui Ioseph ex seruitute, & carcere in regem ferè prouexit, & te liberabit ab his tribulationibus, adducetque in regnum cœlorum. Tantummodò confide, tantùm operare, tantùm promptè decerta: nihil enim eorum perdetur. Inscripta est omnis tua oratio, & psalmodia: descripta est tua omnis eleemosyna: inscriptum est omne ieiunium: inscriptum est omne coniugium rectè custoditum:inscripta est continentia,propter Deum instituta. Præcipuam enim coronam in scripturis habet virginitas & castitas, cuius gratia lucebis sicut angelus.

Iudicio Christi omnes sistẽtur.

Virginitatis & castitatis præcipua corona.

Sed quemadmodum iucundè audiuisti pulchra: sic audi rursus patienter contraria.Inscripta est omnis tua prauitas & error: inscri-

inſcripta eſt tua auaritia: inſcriptum eſt periurium, & blaſphemia,& veneficium & furtum,& homicidium. Omnia hæc deinceps inſcribentur,ſi ea nunc poſt baptiſmum patraueris. Priora enim deleta ſunt.

Quando autem veniet,inquit filius hominis in gloria ipſius, & omnes angeli eius cum eo. Animaduerte homo, in quantum iudicium ingrederis:omne tunc genus hominum aderit. Cogita ergo primùm, quantum ſit Romanorum genus:cogita quot gentes barbarorum,nunc viuentes,& quot ante centum annos mortui: cogita quot ante mille annos ſepulti ſunt. Cogita eos, qui fuerunt ab Adam vſq; ad hodiernum diem. Magna quidem hæc multitudo:ſed hæc tamen parua eſt. Plures enim angeli. Nonaginta nouem oues ſunt illæ:tu verò centeſima: quoniam vnũ eſt tantùm humanum genus. Nam pro locorum magnitudine cogitandum eſt:ſi hæc noſtra terra eſt tanquàm centrum in medio cœli,& tantam habet multitudinem: quantam habebit multitudinem cœlum,quod terram ambit? Et cœli cœlorum, immenſam certè habent multitudinem. Scriptum eſt enim: Mille millia miniſtrabant ipſi, & decem millia myriadum aſsiſtebant ei. Non quòd tanta ſolùm eſſet multitudo:ſed maiorem hac propheta dicere non poterat. Aderit quoq; tunc in iudicio Deus omnium pater,aſsidente Chriſto, & præſente ſpiritu ſancto. Tuba angelica aduocabit nos omnes,ea quæ geſsimus ferentes: Nunquid non debemus hîc iam decertare? Non paruam damnationem,neq; ſine pœna eſſe putes,ô homo,à tam multis cõdemnari. Nónne mallemus ſæpè mori,quàm ab amicis condemnari.

Trinitas aderit in iudicio extremo.

Pugnemus igitur fratres,ne Deus nos damnet,qui inquiſitione, aut redargutionibus nõ eget ad condemnationem. Ne dicas, noctè ſum fornicatus,vel incantationibus,alijsq; eiuſmodi vacabam,& nemo iſtic hominum aderat, ex conſcientia tua iudicaberis:in medio cogitationum accuſantium, aut defendentium, in die quando iudicabit Deus occulta hominum. Iudicis tremẽda facies,veritatem te fateri coget. Immò verò etiamſi reticueris, redarguet te. Circundatus enim,ſeu indutus,tuis ipſius operibus excitaberis. Hoc enim indicauit ipſe iudex, dicens: Chriſtus eſt qui iudicat,non enim pater iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio:non priuans ſeipſum poteſtate,ſed per filium iudicans. Nutu itaq; patris iudicat filius:non enim alij patris,& alij ſunt filij nutus,ſed vnus & idem. Quid igitur dicit iudex, ferendá ne tibi erunt opera tua, vel non? Et congregabantur coram illo omnes gentes. Neceſſe eſt enim coram illo conſiſtere omnes

gentes:& oportet vt coram illo flectatur omne genu cœlestium, terrestrium & inferorum:Et segregabit illos ab inuicem,sicut pastor segregat oues ab hædis.Quomodo autem exquiret?nunquid de libro quæret,quæ sit ouis,& qui hædus, aut ex rebus visibilibus discernet?Nónne lana indicat ouem, pilosa autem durities, hædum.Ita si quidem à peccatis mundaberis, ac deinceps opera habueris sicut lana munda:manebit impolluta stola tua: atq; dices vbiq;:Exui vestem meam, quomodo rursus induar illa? Ex amictu cognoscitur ouis: Sin autẽ pilosus inueniaris sicut Esau, asper in pilis,& vilis in mente:qui propter escas amisit primogenita,& vendidit dignitatem: eris inter eos,qui statuentur à sinistris.Absit autem vt quisquam ex his,qui hîc adsunt,excidat à gratia,aut propter prauas actiones in sinistro peccatorum ordine reperiatur.

Tremendum est iudicium,ita vt per ea etiam quæ de illo nuntiamus,timor incutiatur: Nam regnum cœlorum proponetur: & ignis æternus præparabitur. Quomodo igitur, dixerit aliquis, ignem effugiemus? & quomodo regnum cœlorum ingrediemur:Esuriui,inquit, & dedistis mihi manducare. Discite viam: neq; enim hîc opus est allegoria: sed perficiamus sequentia. Esuriui, inquam,& dedistis mihi manducare. Sitiui,& potastis me: hospes eram,& recepistis me:nudus erã & operuistis me. Aegrotabam,& curastis me:in carcere fueram,& visitastis me. Hæc si nunc feceris,regnabis:si non feceris condemnaberis. Iam igitur incipe hæc operari,& perseueres in fide: ne sicut stultæ virgines empturus oleum excludaris. Non in hoc confidas, quòd solam lampadem habes,sed custodi illam ardentem.Non in hoc solùm confidas,quòd credis, sed fidem ardẽtem conserua, vt luceat lux tua coram hominibus per bona opera,ne blasphemetur propter te Christus. Feras quoq; indumentum incorruptionis, in operibus bonis,quod te deceat,& quod accipis à Deo vtiliter gerens negotium: pecuniæ tibi creditæ sunt,dispensa benè. Verba doctrinæ habes cõcredita,dispensa hęc benè in animos audientium. Præesse,vel tueri potes,fac & hoc studiosè. Multa sũt ostia bonæ administrationis:ne quis tãtùm ex vobis reprobatus eijciatur,sed vt confidenter æterno regi Christo occurramus,qui regnat in secula.Regnat enim Christus in secula, qui iudicat viuos & mortuos,qui pro viuis & mortuis mortuus est, sicut Paulus dicit: In hoc enim Christus mortuus est & reuixit,vt & mortuis,& viuis dominaretur.

Iudicium futurum de operibus.

Sola fides nõ iustificat.

Christus etiam post iudicium regnabit.

Quòd si fortè aliquem audiueris dicentem,quòd finem habet

Christi

Christi regnum:oderis hanc draconis hęresim.Est autem & aliud eius caput,quod nuper in Galatia succreuit. Ausus est quidam dicere, quòd post finem mundi huius non regnabit Christus:Et ausus est dicere,quòd verbum exiens,ipse rursus in patrem resoluetur.Est ne adhuc,qui ausit talia blasphemare de illo?non enim audiuit dominum dicentem:Filius meus in seculum.Non audiuit Gabrielem dicentem : Et regnabit in domo Iacob in æternum,& regni eius non erit finis. Considera igitur quod dicitur. Homines hæretici nunc ista contra Christum docent.Et Gabriel Archangelus, de perpetua saluatoris perseuerantia docuit. Cui potiùs credis?Nónne Gabrieli: Accipe testimonium aliud Danielis.Qui dicit: Videbam in visione noctis,& ecce cum nubibus cœli,sicut filius hominis veniebat, & vsq; ad antiquum dierum coram illo : Et datus est ipsi honor, & principatus,& regnum,& omnes tribus & linguæ seruient ipsi: potestas eius,potestas æterna, quæ non pertransibit, & regnum eius non corrumpetur. Hæc arripe,atq; his potiùs crede,quàm hæresibus, quas à te reijcere debes.Manifestissima enim audisti,de infinito Christi regno, Habes & aliud huic proximũ,de lapide excisо de mõte sine manibus,qui est Christus secundũ carnẽ,& regnũ eius alteri non relinquetur. Et Dauid alicubi dicit:Sedes tua Deus in seculum seculi.Alicubi verò:Initio tu domine terram fũdasti,&c. Tu autẽ idẽ ipse es & anni tui nõ deficiẽt: Quę Paulꝰ de filio interpretatus est.

Vis ne cognoscere, vnde in hanc deuenerunt insaniam, qui talia docent.Legebant malè id,quod ab Apostolo benè scriptum est: Oportet ipsum regnare, donec ponat omnes inimicos eius sub pedes ipsius.Et dicũt: Quãdo subijciẽtur inimici pedibus eiꝰ, nõ amplius regnabit:malè insipiẽterq; hoc dicẽtes. Qui enĩ antè quã hostes prostrauisset,regnabat,quomodo nõ magis superatis hostibus regnabit?Ausi sũt & hoc dicere,quod scriptũ est: Quod cùm subiecerit ipsi omnia,tũc & ipse filius subijcietur ei, cui subijcit omnia:hoc,inquiũt,significat,quòd filius resoluetur in patrẽ.Tũ verò,ô stultissimi omniũ hominũ,qui talia dicere audetis. Vos quidẽ,cũ sitis Christi opificia,manebitis: Christus verò,per quẽ &vos,& oĩa facta sũt,peribit?Blasphema est vox ista.Quomodo autẽ subijciẽtur ipsi oĩa,perdita,aut manẽtia.Deinde,alia qui dẽ Deo subiecta manẽt:filius autẽ patri subiectꝰ nõ manet? Subijcietur autẽ,nõ quòd tũc incipiat obedire patri:sẽper enim ipsi placẽtia facit:sed quòd etiã tũc obediet. Neq; verò coactã habet obediẽtiã,sed spõtaneã obsequẽdi volũtatẽ:nõ enim seruus est, vt cogatur subesse,sed filius est, vt volũtariè,& ex amore obsequatur.

Filius quomodo subijcietur patri.

Quæ-

Quæramus autem ex illis, quousq; & donec, quotuplex est. Ego enim hac dictione, vt accipitur, euertere tentabo errorem. Cùm ausi sint dicere, quòd istud, donec ponam inimicos sub pedes eius, significat finem. Et ausi sunt circunscribere æternum Christi regnum. Age itaq; adducamus his similia ex Apostolo. Sed regnauit mors ab Adam vsq; ad Moysen. Nunquid vsq; tunc moriebantur, & post Moysen non amplius quisquam mortuus est? vel, An post legem nõ erat amplius mors hominum? Sed vides quòd verbum hoc, vsq;, non est temporis circunscriptiuũ, quod etiam Paulus ipse magis aperuit. Hæc Moysen (quamuis iustus & admirandus vir esset) tamen quæ contra Adam lata erat sententia, corrupit eum, & super illum, aliosq; sequẽtes extensa est. Et hoc etiamsi similiter vt Adam non peccauerint, in pręuaricatiõe ligni. Accipe autem & aliam similem phrasim: nam vsque ad hodiernam diem, quando legitur Moyses, velamen in cordib⁹ illorum positum est. Nunquid igitur illud vsq;, ad Paulum, vel vsq; ad hodiernum diem, & vsq; ad consummationem intelligendum? Si dicit Paulus Corinthijs: Donec enim & vobis contendimus in Euangelio Christi: spem habentes crescentis fidei, in his quę de illa vobis prędicata sunt. Cernis apertè, quòd istud donec, finem non habet, sed habet quiddam consequens. Sic etiam memineris oportet illius: Donec ponat inimicos. Sicut alibi dicit ipse Paulus. Et adhortantes eos singulis diebus, donec dies est. Manifestum est, quòd semper, quemadmodum principium dierum Christi dicere non oportet, sic finem regni eius, dicente fortè aliquo non attendas: Regnum enim illius, regnum æternum esse, scriptum est.

Donec & vsque, non circunscribunt tempus.

Donec consequentiam notat.

Ac plura quoq; alia ex sacris scripturis testimonia, de æterno & nũquam finiendo Christi regno habeo: sed propter temporis angustiam, hæc vobis sufficiant. Tu autẽ auditor, illum regem adora solum: fugiens omnẽ hæreticorum errorẽ. Quòd si dei gratia concesserit, reliquũ fidei suo tẽpore vobis explicabimus. Deus autẽ omniũ & dominus, omnes vos custodiat, recordantes signa consummationis, & inexpugnabiles ab Antichristo maneatis. Accepisti signa vẽturi seductoris: accipe quoq; demõstrationes veri Christi, qui manifestè descẽsurus est de cœlis. Illũ quidẽ fuge tanquàm falsũ, hũc autẽ expecta, vti verũ. Didicisti viã quomodo es iudicãdus, in dextera inueniaris. Custodi hoc de Christo depositũ in operibus bonis decẽter, vt confidẽter assistas iudici, regnumq; cælorũ hæredites in Christo IESV domino nostro, per quem & cũ quo gloria patri cũ sancto spiritu, in secula seculorum, Amen.

CATE-

CATECHESIS SEXTA ET DECIMA ILLVMI-

natorum Hieroſolymis extemporanea, de hoc: Et in Spiritum ſanctum paracletum, qui locutus eſt per Prophetas. Et lectio ex prima ad Corinthios: De ſpiritualibus fratres nolo vos ignorare, &c.

SPiritali verè opus eſt gratia, vt de ſpiritu sãcto diſſeram⁹, non quòd pro dignitate id facere poſsimus, impoſsibile enim: ſed vt ea quę sũt è ſcripturis diuinis, dicẽtes, ſine periculo proſequamur. Valde enim terribile quiddam ſcriptum eſt in Euangelio, vbi dicitur: Si quis dixerit verbum contra ſpiritum ſanctum, non remittetur ipſi, neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro. Et eſt perſępè verendum, ne quis vel ex ignorantia, vel ex opinione religionis dicat, quæ non conueniat de ipſo, & tradatur damnationi. Iudex viuorum & mortuorum IESVS Chriſtus decreuit, quòd non habebit remiſsionem: ſi quis ceciderit, qualem habet ſpem? Ipſius igitur gratiæ Chriſti opus eſt, concedere, vt & nos diligenter loquamur, & vos prudenter audiatis. Opus enim eſt intellectu, non modò dicentibus, verùmetiam audientibus: ne alia audientes aliud mente concipiant. Dicemus itaq; nos de ſpiritu ſancto ea tantùm, quæ ſcripta ſunt: ſi quid autem ſcriptum non eſt, non ſcrutabimur curiosè. Ipſe ſpiritus ſanctus elocutus eſt ſcripturas: ipſe etiam de ſeipſo dixit quantum voluit, aut quatenus fuimus capaces. Dicantur ergo quæcunq; dixit: nam quæ ille non dixit, nos non audeamus.

De ſpiritu ſancto nõ niſi quæ ſcripta loquendũ.

Vnus eſt tantùm ſpiritus ſanctus, ille Paracletus. Et ſicut vnus eſt Deus pater, neq; eſt ſecundus pater: & ſicut vnus eſt vnigenitus filius, & verbum Dei, fratremq; non habet: ſic vnus eſt tantũ ſanctus ſpiritus, & alius non eſt ſpiritus æqualis cum illo dignitatis. Eſt autem ſpiritus ſanctus maxima potẽtia, diuinum quiddam, & inueſtigabile: viuit enim, & rationalis eſt, ſanctificans per Chriſtum omnes, qui ſunt à Deo conſcripti. Hic illuminat animas iuſtorum, hic & in prophetis, hic & in Apoſtolis noui teſtamenti fuerat. Odio habeantur, qui audent ſeparare ſpiritus ſancti operationem: Vnus Deus pater, veteris & noui teſtamenti dominus: & vnus dominus IESVS Chriſtus, in veteri per Prophetas prædictus, & in nouo veniens. Et vnus ſpiritus ſanctus, qui per Prophetas de Chriſto prędicabat: adueniẽte autem Chriſto, deſcendit & monſtrauit ipſum. Nemo itaq; ſeparet vetus à nouo teſtamento: nemo dicat, quòd alius illic ſpiritus, & alius hîc: alioquin reſiſtet ſpiritui ſancto, cum patre & filio honorando, & baptiſmatis tempore in ſancta trinitate comprehenſo.

Spiritus ſanctus quid ſit

Filius enim Dei vnigenitus apertè dixit Apoſtolis: Euntes igitur docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris,& filij & ſpiritus ſancti. Spes noſtra eſt in patre, & filio & ſpiritu ſancto. Non tres Deos annuntiamus: obmuteſcant enim Marcioniſtæ: ſed cũ ſpiritu ſancto,per vnũ filiũ,vnũ Deũ prædicamus.Indiuiſa eſt fides,inſeparabilis pietas. Neq; ſeparamus ſanctam Trinitatẽ, ſicut quidam:neq; cõtrahimus, ſicut Sabellius: ſed agnoſcimus eam religiosè:vnum patrem, qui miſit nobis ſaluatorem filium, promittentem mittere à patre ſpiritum ſanctum paracletum. Scimus ſpiritum ſanctum,qui locutus eſt per prophetas,& in die Pentecoſtes deſcendit ſuper apoſtolos, in ſpecie ignearum linguarum, hîc Hieroſolymis in ſuperiori apoſtolorum eccleſia. Omnium enim apud nos ſunt inſignia. Hic Chriſtus de cœlo deſcẽdit,illic ſpiritus ſanctus.Ac maximè ſanè decebat, ſicut quæ Chriſtus egit in Golgotha, etiam in eodem Golgotha prædicamus:ſic & de ſancto ſpiritu in ſuperiori illa dicere Eccleſia.Quoniam autem ille qui illic deſcendit,fruitur etiam hîc gloria Crucifixi,itaq; & de eo qui illic deſcenderat, hîc prædicamus.Indiuiſibilis enim eſt pietas.

Apoſtolorum tẽplum Hieroſolymis erat.

Volumus ergo deinceps aliqua dicere de ſancto ſpiritu, non quòd exactè ſubſtantiam eius enarremus. Impoſsibile enim. Sed dicemus de diuerſis ab illo progreſsibus, ne quando per ignorantiam in eis aberremus. Præcidamus vias erroris, vt vna regali via incedamus. Quòd ſi dictum aliquod ab hęreticis, cautionis ergô explicabimus, hoc in caput illorum redundet: nos verò ſimus immunes,qui dicimus, & vos qui auditis. Nam impijſsimi omnium hæretici,etiam contra ſpiritum ſanctum acuerunt linguã, & auſi ſunt dicere nefanda. Quemadmodum Iræneus interpres in inſtitutionibus contra hæreſes,ſcripſit.Ac alij quidem ſeipſos eſſe ſpiritum,auſi ſunt dicere:quorum primus eſt Simon magus, de quo in actibus Apoſtolorum:Reprobus enim factꝰ,talia docere auſus eſt.Alij autem, qui vocabantur Gnoſtici, homines impij,alia quædam abſurda de ſpiritu ſancto affirmabant. Contrà, alia improbi Valẽtiniani. Manes autem ſceleratiſsimus,ſeipſum eſſe à Chriſto miſſum paracletum auſus eſt dicere. Rurſus alij aſſerebant,alium in prophetis eſſe,aliũ in nouo teſtamento. Adeò diuerſus eſt illorum error, vel potiùs blaſphemia. Oderis igitur tales & fuge,qui blaſphemant contra ſpiritum ſanctum, & nullam habent peccatorum condonationem. Quæ enim tibi iam in ſpiritu ſancto baptizato cum deſperatis communio?Si pœnæ eſt obnoxius,qui adhæret furi, & verſatur cum illo,quam ſpem habebit,

Iræi inſtitutiones contra hæreſes.

Gnoſtici.

Manes.

habebit,qui ſpiritu ſancto aduerſatur? Odio proſequantur Marcioniſtæ, qui ſublata volunt verba veteris teſtamenti. Primus enim impijſsimus Marcion, primus inquam,qui tres eſſe Deos aſſerebat,& cùm de Chriſto multa prophetarum teſtimonia nouo teſtamento citari videret, abſtulit illa ex lege veteri teſtimonia,vt rex Chriſtus abſq; teſtimonio eſſet. Pudefiant & prædicti iam Gnoſtici quidem, ſeu ſcientes nomine, pleni autem ignorãtia,qui hæc de ſpiritu ſancto dicere audent,quę ego nec nominare auſim. Odioſi ſint Cataphriges & Montanus, malorum dux, atq; ſcilicet binæ illius prophetiſſæ,Maximina & Priſcilla. Montanus enim iſte mẽte captus,& verè inſanus, (neq; enim ſi ſanus eſſet, iſta doceret) ſeipſum eſſe Spiritum ſanctum, homo abiectiſsimus, & omni immundicia, fœditateq; refertus, auſus eſt aſſerere. Sufficit enim hoc per ſignacula quædam indicare,propter mulierum præſentium reuerentiam, & paruulorum in domino decorem.

Marcion tres Deos eſſe docebat.

Montani prophetiſſæ.

Midram in Phrigia accipiens, falsò illam Hieroſolymam appellauit,quæ nequiſsima omnium mulierum, paruulos pueros iugulabat, & cõcidebat in eſcam nefariam,prætextu eorum,quę apud illos vocantur myſteria. Propterea hactenus in perſecutionibus hoc ipſum nos facere gentes ſuſpicabantur, eò quòd & Montaniſtę,quamuis falsò,eodem tamen Chriſtianorum nomine vocabantur. Auſus eſt ſeipſum appellare ſpiritum ſanctum, homo impietate omni & inhumanitate plenus:ergo inexcuſabili traditus eſt damnationi.

Contendebat idem,vt prædictum eſt, & Manes ſceleratiſsimus,qui mala hæreſeon ſummatim comprehendens,in ſummũ perditionis botrum euaſit:atq; omnia colligens,ſimul abſurdiſſimum peperit,& docuit hęreticorum errorem:auſuſq; eſt dicere,ſeipſum eſſe paracletum, quem Chriſtus mittere promiſit. Atqui ſaluator promittẽs dicebat Apoſtolis: Vos manete Hieroſolymis,donec induamini virtute ex alto. Quid igitur?nunquid Apoſtoli ab ducentis annis defuncti,expectabant Manem,donec illius virtutem induerent? Audebit ne quiſquam dicere, quòd non erant tunc pleni ſpiritu ſancto? Atqui ſcriptum eſt: Tunc imponebant manus, & accipiebant ſpiritum ſanctum. Nunquid non multis ante Manem annis hoc factum eſt: cùm in die Pentecoſtes deſcendiſſet ſpiritus ſanctus? Quare damnatus eſt Simon Magus? Num non ideo, quòd accedens ad Apoſtolos dixit: Date mihi hanc poteſtatem, vt cuicunque manus impoſuero,ſpiritum ſanctum accipiat? Nõ enim dixit:date mihi

ſpiritus ſancti communionem,ſed poteſtatem. Vt alijs venderet, quod non erat venale,quod ipſe non poſſederat. Et adferebat pecuniam nihil poſsidere volentibus : etiamſi videret illos, qui rerum venditarum pretia adferebant, & ante pedes Apoſtolorum proijciebant :neq; tamen id reputabat,quòd illi, qui pedibus diuitias ad pauperum alimẽta oblatas conculcabant,ſpiritus ſancti poteſtatem pro mercede aliqua non eſſent traditurí. Illi autem, inquiunt,dicunt Simoni: Argentum tuum ſit tibi in perditionem: quia donum Chriſti pecunijs te conſequi poſſe putaſti. Alter tu Iudas ,argẽto gratiã te ſpiritus ſancti empturũ exiſtimaſti. Si igitur Simõ pretio volẽs cõſequi ſpiritus sãcti virtutẽ, abijt in perditionem , Manes qui ſeipſum dixit eſſe ſpiritum ſanctum, quanta eſt prędítus impietate ? Oderimus qui digni ſunt odio: auerſemur eos, quos auerſatur Deus. Dicamus & ipſi confidenter ad Deum vniuerſorum de omnibus hæreticis: Nónne odio te habentes oderam domine ? Sunt enim & inimicitiæ quædam bonæ,quemadmodum ſcriptum eſt: Et ponam inimicitias inter te,& inter ſemen tuum. Amicitia enim, quæ eſt cum ſerpente, inimicitiam Dei & mortem efficit. Hæc igitur de perditis illis dicta ſunto. Deinceps autem ſcripturas diuinas aggrediamur,& recognoſcamus aquas in vaſis noſtris, & de puteis noſtris fontes. Bibamus de aqua viua ſaliente in vitam æternam. Hoc enim dixerat ſaluator de ſpiritu ſancto,quem accepturi erant credentes in ipſum. Vide quid dicat: Qui credit in me, non ſimpliciter,ſed vt dicit ſcriptura (remittens te ad vetus teſtamentum) flumina de ventre eius fluent aquæ vinentis. Non flumina ſenſilia, terram ſpiniferam,& ligniferam irrigantia: ſed animam illuminantia. Et alibi dicit: Sed aqua quam ego dabo ipſi,erit fons in ipſo aquæ viuentis,ſalientis in vitam æternam. Nouum aquæ genus,quæ viuit & ſalit: ſalit autem tantùm in dignos. Quid ita? nunquid ſpiritalem gratiam aquam nominauit? Quandoquidem per aquam omnium eſt conſiſtentia: quandoquidem herbæ,& animantia fiunt ex aqua: Quod aqua eſt cauſa auri, quòd de cœlis deſcendit imbrium aqua: quoniam cùm ipſa quidem vna in ſpecie deſcendit, multas autem ſpecies efficit. Nam & paradiſum totum, fons vnus irrigat,& vna pluuia in vniuerſum deſcẽdit mundum, quæ alba quidem fit in ſpinis, rubra autem in roſis, purpurea verò in hyacinthis,ac in diuerſis ſpeciebus diuerſa,& in omnibus fit omnia: cùm ipſa nihilominus eadem eiuſdemq; ſit ſpeciei. Neque enim ſeipſam tranſmutans pluuia ,alia & alia deſcendit , ſed cuicunq; naturæ ſeſe adiunxerit,illi fit incrementum. Sic & ſpiritus

Apoſtoli nolebãt quicquã poſsidere.

Inimicitiæ quædam ſunt bona.

Aqua in omnibus creſcẽtibus.

ſanctus,

ſanctus,cùm ſit vnus & idem, & non diuiſibilis, vnicuiq; diuidit gratiã prout vult.Et quemadmodum aridum lignum aqua participans,flores emittit : ſic & anima peccatrix per pœnitentiam ſpiritu ſancto digna reddita,iuſticię racemos progenerat.Et cùm ipſa ſit vniformis, multas nutu Dei,& in nomine Chriſti virtutes operatur. Nam alterius quidem linguæ ſeſe accõmodat ad ſapientiam : alterius autem animam illuminat in prophetia. Alij datur poteſtas eijciendi dæmones , alij verò datur facultas interpretandi ſcripturas diuinas:alîus temperantiam corroborat:aliũ inſtituit ad eleemoſynam:alium docet ieiunare,& exerceri ad pietatem ,& res corporeas contemnere: alium prępparat ad martyrium,atq; ſic alia in alijs operatur,ipſe non alius ſit à ſeipſo,ſicut ſcriptum eſt. Vnicuiq; autem manifeſtatio ſpiritus datur ad vtilitatem:alij enim per ſpiritum datur ſermo ſcientiæ,ſecundum eundem ſpiritum,alij fides in eodem ſpiritu , alij gratiæ curationum in vno ſpiritu:alij operationes virtutum,alij prophetia,alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum : Omnia autem hæc operatur vnus & idem ſpiritus,diuidens vnicuiq; prout vult. *Spiritus vnius varia dona.*

Sed cùm de ſpiritu ſimpliciter multa & diuerſa ſcripta ſint in diuinis ſcripturis,ac metuendum ſit,nequis ex ignorantia in aliquem de ſpiritu ſancto errorem deueniat, ignorans de quali ſpiritu id ſcriptum ſit : bonum eſt nunc eum prępmunire , qualem eſſe dicat ſcriptura ſpiritum ſanctum. Quemadmodum enim & Aaron vocatur Chriſtus,& Dauid & Saul , & alij Chriſti vocantur,vnus tamẽ eſt verus Chriſtus : ſic & appellatio ſpiritus,cùm de rebus diuerſis dicatur:pulchrum eſt videre, quid ſit peculiariter ſpiritus ſanctus.Multa enim ſpiritus vocantur.Et angelus vocatur ſpiritus . Anima noſtra vocatur ſpiritus . Ventus hic flans vocatur ſpiritus:& virtus magna,vocatur ſpiritus:&ſpiritus immundus,vocatur ſpiritus . Animaduerte igitur hæc audiens,ne propter nominis ſimilitudinem,alterum pro altero cogites . De noſtra anima dicit ſcriptura:Exibit ſpiritus eius,& reuertetur in terram ſuam.Ac rurſus de eadem dicit:Qui creat ſpiritum hominis in ipſo . De angelis verò dicit in pſalmis : Qui facit angelos ſuos ſpiritus,& miniſtros ſuos flammam ignis.De vento autem: Spiritu,inquit vehementi conteres naues Tharſis: Et , Quemadmodum lignum in ſylua à ſpiritu agitatur:Et ignis,grando , nix glacies,ſpiritus procellarum. De bona autem doctrina , ipſe dominus dicit:Verba quę ego locutus sũ vobis,ſpiritus & vita ſunt. Spiritus sãctus qui loquitur linguis,& viuẽs eſt , eloquẽtiã præbẽs,& ipſe differit.Et vis noſſe,quòd cũ hominib⁹ verſetur,& col- *Spiritus de multis prædicatur.* *Spiritus ſanctus loquitur & loqui facit.*

loquatur? Philippus ex angeli reuelatione descēdit in viam, quæ ab Hierosolymis ducit Gazam, quando Eunuchus ille aduentabat. Et dixit spiritus Philippo: Accede, & adiunge te currui huic. Cernis loquentem spiritum audienti? Et Esechiel sic dicit: Et factus est super me spiritus domini, & dixit ad me: Hæc dicit dominus. Et rursus: Dixit spiritus his, qui erant Antiochiæ Apostolis. Segregate mihi Barnabam & Saulum in opus, ad quod assumpsi eos. Vides spiritum viuentem, segregantem, vocantem, & cum potestate mittentem. Et Paulus: Nisi, inquit, quod spiritus sanctus testatur mihi dicens: quòd vincula & tribulationes me manent. Bonus enim est ille sanctificator Ecclesiæ, & auxiliator & magister, paracletus. De quo Saluator: Ille, inquit, vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia. Non dixit, docebit tantùm, sed etiam suggeret omnia, quæcunq; dixero vobis. Neq; enim alia Christi doctrina, & alia spiritus sancti, sed planè eadem. Prædixerat Paulo quę euentura erāt, vt ea præuidendo, promptior esset. Hæc autem dicūtur nobis propter illud, quod modò recitatum est. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus sunt. Ne hanc labiorum elocutionem esse putes: sed rectam doctrinam.

Vocatur autem & peccatum spiritus, sicut dixeramus, sed aliter & modo contrario, cum dicit: Spiritu fornicationis aberrauerunt. Vocatur spiritus, etiam immundus spiritus dæmon, sed cum hac adiectione, immundus. Et vnicuiq; additur cognomē, vt indicet proprietatem. Si enim de anima hominis dicitur spiritus, cum hac adiectione dicitur, spiritus hominis. Si ventura notat, spiritum procellarum dicit. Si peccatum innuit, spiritus inquit, fornicationis dicit. Si dæmonē significat, spiritus dicit fornicationis & immundus: vt cognoscamus de quo spiritu sit sermo. Neque putes de spiritu sancto hoc dici. Absit. Spiritus enim nomen medium quoddam est: nam omne quod est absque corporis mole, in vniuersum spiritus vocatur. Cùm autem & dæmones corpora non habeant, spiritus vocantur. Sed magna est quædam inter hos spiritus differentia. Immundus enim dęmon, si quam hominis animam aggressus fuerit, (liberet autem ab hoc dominus omnes animas tam præsentium hîc, quàm absentium) tanquàm lupus sanguiuorus, paratus ad deuorandum super ouem veniret. Sæuissimus illius aduentus, grauissimus sensus, tenebrosa mens efficitur, & insultus iniquus, & rapina possessionis alienæ. Corpore enim alieno tanquàm proprio vtitur violenter, membris alienis stantem iactitat, & alieno instrumento astantes acclamat. Minister enim est illius, qui cecidit de cœlo.

Spiritus nomen medium

Deprauat

Deprauat linguam, torquet labia: ſpumam pro verbis fundit, obtenebratur homo, apertus eſt oculus, & non videt per eum anima. Gemit homo tremens, ante mortem miſerrimus. Verè hoſtes ſunt hominum dæmones, turpiter illis abutentes, & abſq; miſericordia. Abſit hæc opinio, non eſt eiuſmodi ſpiritus ſanctus: ſed contraria ratione, omnia ad bonum & ad ſalutem dirigit. Primùm enim manſuetus illius aduentus, fragrans progreſſus, onus leuiſsimum, ante ſuum acceſſum radios lucis præmittens, & cognitionis. Germani protectoris viſcera habens aduenit. Venit enim ſeruare & ſanare, docere, adhortari, confortare, admonere, & illuminare mentem primùm quidem eius, qui recipit illum, deinde per ipſum & cæteros. Et quemadmodum in tenebris ſi quis anteà fuiſſet, ſolem deinceps extemplò videns, aſpectus corporis eius illuminatur, item vt quę anteà non videbat, tunc videat. Sic etiam cui ſpiritus ſanctus donatus eſt, anima illius illuſtratur, & plusquàm homo cernit. In terra erit corpus, & anima cœlos contemplabitur. Videt, vt Eſaias cernebat dominum ſuper throno excelſo & eleuato: Videt, vt Ezechiel eum, qui ſedebat ſuper Cherubim. Videt, vt Daniel Myriades myriadum, & millia millium. Exiguus homo cernit principium & finem mundi, & medium temporum, & Regum ſucceſsiones. Scit quæ non didicerat: adeſt enim verus ductor lucis. Intus conſiſtēs homo, & virtus ſcientiæ procul à Deo illi immittitur, ita vt ea quæ fiunt ab alijs ipſe cognoſcat. Non adfuerat Petrus Ananiæ & Saphiræ cùm ſua bona vendebant, ſed per ſpiritū aderat. Quare, inquit, tentauit Satanas cor tuum, vt mentiare ſpiritui ſancto: Nullus erat accuſator, nullus teſtis. Vnde igitur hoc euenit, vt noſſet. Nónne, inquit, manens manebat tibi, & id quod vendidiſti in poteſtate erat tua? Quare ſtatuiſti in corde tuo hanc rem? Qui erat abſq; literis, per gratiam ſpiritus illa didicit, quæ ne Grę corum quidem ſapientes nouerant. Habes ſimile huic de Eliſeo. Qui cùm gratis ſanaſſet lepram Neeman, Giezi precium eius accepit, alieni officij præmium intercipiens, recepitq; à Neeman pecunias, & in obſcuro illa occultauit, ſed neq; in tenebris quicquam occultatur ſanctis. Nam venientem illum interrogat Eliſeus, ſimiliter atq; Petrus, dicens: Dic mihi, ſi tanti ager vęnunda tus eſt? Sic ille interrogat, quamuis non ignoraſſet vnde Giezi. Sed luctuoſum erat illud vnde. A tenebris prodijſti, & in tenebras ibis. Vendidiſti curationem leproſi, & hæreditabis ipſius lepram. Impleui, inquit, ego perfectionem illius, qui dicit mihi: Gratis accepiſtis, gratis date. Tu autem vendidiſti hanc gratiam,

Spiritus ſancti aduentus qualis.

Spiritu ſancto omnia perſpiciūtur.

Sanctis nouquicquam in tenebris occultum.

ſuſcipe

ſuſcipe ergo & præmium iſtius venditionis. Sed quid ait ad illum Eliſeus? Nónne cor meum ibat tecum? Hic ego fueram corpore concluſus: ſed ſpiritus à Deo mihi datus, ea quæ procul aberant, cernebat, & quæ alibi dicebantur manifeſtè oſtendit mihi. Cernis quomodo illuminat animas ſpiritus ſanctus, tollit ignorantiam, & ſcientiam reponit. Eſaias ferè ante mille annos, cernens tanquàm tabernaculum Sion. Ciuitas erat iam cõdita & ſiſtẽs, & mercibus exornata, & ornatu vario circumdata. Ille tamen dicit: Sion tanquàm ager diſsipabitur, prædicens id, quod noſtra ætate completum eſt. Certitudinem autem prophetiæ demonſtrans, Relinquetur inquit, filia Sion, ſicut tẽtoriũ in vinea, & ſicut tugu riũ cucumerariorũ. Etiam nũc cucumeris ille locus repletus eſt.

Spiritus ſanctus illuminat & erudit animas.

Cernis quemadmodum iuſtos ſpiritus ſanctus illuminat? Nõ igitur propter cognationem nominis, aliò circumferaris, ſed id quod certiſsimum eſt cuſtodias. Quòd ſi fortè ſedenti tibi de caſtitate, aut virginitate ſubeat cogitatio, illius eſt ea doctrina. Nónne perſæpè puella, iam ad ſponſi thalamum conſtituta, effugit, ſpiritu ſancto de virginitate eam docente? Nónne ſæpè ſplendidus aliquis homo aulicus contempſit diuitias, probè inſtructus à ſpiritu ſancto? Nónne iuuenis ſæpè videns pulchritudinem, compreſsit oculos, & ne amplius videret aufugit, polutionẽque vitauit? Quæris vnde id contingat: Spiritus ſanctus certè ſic erudiuit animam adoleſcentis. Tot ſunt auaritiæ cupiditates in mũdo, & tamen nil poſsidere, eligunt Chriſtiani. Qua de cauſa? Propter ſpiritus ſancti annunciationem. Precioſum ſanè donum eſt ſpiritus ſanctus ille bonus. Meritò baptizamur in nomine patris & filij, & ſpiritus ſancti. Homo corpus adhuc circumferens, multis cum dæmonibus feriſsimis luctatur. Et perſępè dæmoniacus, qui ferreis vinculis à multis retineri non poteſt, ab vno ſolis verborum precationibus continetur, per eam quę in illo eſt ſpiritus ſancti virtutem, & ſimplex exorciſantis afflatus, efficitur ignitus his, qui videri non poſſunt. Magnum igitur commilitonem & auxiliatorem apud Deum habemus: magnum Eccleſiæ doctorem: magnum protectorem noſtrum: non metuamus ergo dæmones, nec diabolum. Maior enim eſt qui certat pro nobis, modò illi oſtia aperiamus. Obambulat enim ille, qui digni ſint quærens, & quibus dona conferat.

Virginitatis & caſtitatis cogitatio ſit à ſpiritu ſancto.

Exorciſantis afflatus vrit dæmones.

Doctor Eccleſiæ ſpiritus.

Paracletus ſpiritus.

Vocatur quoque Paracletus, propter conſolationem, & auxilium infirmitatis noſtræ. Nos enim quid, & quatenus orare debeamus, neſcimus: Sed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitib⁹ ineffabilibus. Manifeſtum autem eſt, quòd apud Deum. Sæpè propter

propter Christum afficitur contumelia & ignominia quispiam: Martyrium imminet, tormenta vndiq; & ignis, & gladius, & bestiæ, & gurgites. Verùm intereà spiritus sanctus alloquitur: sustine dominum: parua sunt ista quæ fiunt: breui tantùm tempore labora, & in sempiternum eris cum angelis. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: Describit homini regnum cœlorum, demonstrat deliciarum paradisum. Ac Martyres quidẽ vultu corporeo sisti cogebantur coram iudicibus, potentiâ autem animi erant in paradiso, contemnebantq; præsentes difficultates. Vis autem ex scripturis nosse, virtute spiritus sancti martyres Christo testimonia exhibere, Saluator ipse dicit ad discipulos: Cùm adduxerint vos in Synagogas, & ad principatus, & potestates, ne sitis solliciti, quid respondeatis, aut quid dicatis. Spiritus enim sanctus docebit vos in illa hora, quid vobis dicendum sit. Fieri enim non potest, vt quis de Christo prębeat testimoniũ, nisi per spiritum sanctum testetur. Si enim nemo dicere potest dominum IESVM, nisi in spiritu sancto, vitam pro illo, & sanguinem quis profundet, nisi in spiritu sancto?

Martyres in spiritu sancto fiunt.

Magnum quiddam est, & omnipotens inter charismata, & admirãdum, spiritus sanctus. Cogita quot nunc estis, qui hîc assidetis, quot nostrûm animæ adsunt: in vnoquoq; tamen congruè operatur, & medius existens, videt cuiusq; modum, cernit & cogitationem, & conscientiam, & quid loquamur, & quid mente retineamus. Magnum quid est, quod dixi: sed restat maius. Considera tu qui iam mentẽ ab illo habes illustratam: quot sunt Christiani huius parœciæ, quot in palæstina? Extende rursus mentem ab hac prouincia in totum Imperium Romanum, ac ex eo deinde considera vniuersum mundum. Persarum & Indorum gentes ac nationes. Gothos & Sauromatas multos, Hispanos & Mauros, Afros & Aethiopas, & reliquos, quorum nomina ignota sũt nobis. Multarum enim gentium ne nomina quidem in notitiam nostram venerunt. Perspice cuiuslibet nationis Episcopos, sacerdotes, diaconos, Monachos, virgines, & reliquos laicos: & respice magnum hunc Præsulem, & gratiarum Parrochum (id est, exhibitorem) quomodo in vniuerso mundo, alij quidem castitatem, alij virginitatem, alij studium paupertatis, alij vim repellendi aduersarios spiritꝰ tribuit. Et quẽadmodũ lumen vno radij progressu illuminat omnia: ita spiritus sanctus eos, qui habẽt oculos illustrat. Quòd si quispiam non respiciens, illius gratia non potitur: non spiritum sanctum, sed suam ipsius arguat perfidiam. Vidisti

Omnipotens inter charismata spiritus.

Parœcia Palæstinæ.

Parrochus gratiarum spiritus virginitatem & castitatem suggerit.

illius vim in vniuerſo mundo: non hîc ſubſiſtas: ſed ad ſuperiora quoq; aſcẽde. Ac principio quidem in primum cælum mentem eleua: Conſydera eas quę iſtic ſunt innumerabiles myriades, cogita & altiora ſi potes. Vide virtutes, vide principatus, vide poteſtates, vide thronos, vide dominationes. Eorum omnium præſes apud Deum, & magiſter, & ſanctificator eſt hic paracletus. Eò indiget Elias ac Eſaias inter homines: eo op⁹ habet Gabriel & Michaël, inter archãgelos: Nihil ex rebus progenitis dignitati illius adæquatur. Nã & in vniuerſum genus angelorũ, & omnes exercitus ſimul congregati, nequaquam ſpiritus ſancti proportionẽ ſuſtinuerint. Cooperit hæc omnia virtus perquàm maxima paracleti, ita vt angeli quidem ſint, qui in miniſterium mittantur: Ipſe autem ſpiritus eſt, qui profunda Dei ſcrutatur, vt inquit Apoſtolus: Qui omnia ſcrutatur, etiam profũda Dei. Quis enim nouit ea, quę ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt. Sic & ea quæ apud Deum nemo cognoſcit, niſi ſpiritus Dei. Et illi ſcilicet Angeli ſanè, ex eo quod nõ erat, ſunt creati. Hic autem ſemper à Deo procedens. Et illi nempe Angeli, naturâ ſunt mutabiles tanquàm creatura. (Tametſi iam ex gratia non mutentur, neq; conuertantur.) Hic autem immutabilis, inconuertibilis, vnum exiſtens cum patre, & filio. Hic ſpiritus de Chriſto prædicauit per Prophetas. Hic operatus eſt in Apoſtolis. Hic ad hodiernam vſq; diem obſignat animas in baptiſmo. Et pater quidem dedit filio, filius autem tradidit ſpiritui ſãcto. Ipſe enim IESVS eſt qui dixit, non ego: Omnia mihi tradita ſunt à patre meo. Ac de ſpiritu ſancto dicit: Quando venerit ille ſpiritus veritatis, & reliqua, ille me glorificabit: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Pater per filium cum ſpiritu ſancto omnia largitur. Non alia patris, alia filij, nec alia ſpiritus ſancti: ſed vna eſt ſalus, vna fides. Vnus Deus pater, vnus dominus vnigenitus eius filius, vnus ſpiritus ſanctus paracletus. Atq; hæc quidem ſcire ſufficit. Naturam autem vel ſubſiſtẽtiam ſpiritus ne curioſè ſcruteris: ſi enim ea deſcripta eſſet, diceremus: quod autem ſcriptum non eſt, dicere non audeamus. Satis eſt nobis ad ſalutem ſcire, quòd eſt pater, & filius, & ſpiritus ſanctus, qui deſcenderat in ſeptuaginta ſeniores tempore Moyſi. (Sed prolixitas ſermonum, dilecti, ne tædioſa vobis efficiatur, præbeat ille, de quo nobis ſermo eſt, eam virtutem vnicuique, & mihi dicenti & vobis audientibus: & ea nunc exhibeat, quæ nouit omnia donare) Non erat tum in illo ſeptuaginta viros ſpiritus ipſe diuiſus, ſed gratia tantùm, pro eorum qui recipiebant, facultate. Sexaginta tantùm, & octo aderãt.

Angelos ſpiritus ſanctus omnes ſanctificat.

Spiritus ſanctus ſigillat animas.

Spiritus ſanctus, de his quæ ſunt filii accipit.

Eldad

Eldad autem & Modad aberat. Vt igitur ostenderet nõ Moysem esse largitorem, sed spiritum operantem, Eldad & Modad vocati quidem, sed non occurrẽtes, prophetabant. Stupefactus est IESVS ille typicus, Naue vocatus, successor Moysis, & cõueniens eum, dicit: Audisti quòd Eldad & Modad prophetant: Vocati erant, sed non aduenerant, domine mi Moyses prohibe eos. Non possum, inquit, ille cohibere: cœlestis enim est ista gratia. Ac tantum abest, vt eos cohibere queam, vt etiã fateri cogar me ex gratia domini id habere, sed non puto te ex odio ista dicere: caue autem vt æmuleris pro me, vel inuideas quod illi quidem prophetant, tu autem nequaquam expecta tempus. Quis dabit vniuersum populum esse domini prophetas: quando det dominus spiritum suum super eos. Propheticè dicit, quòd, quando det, tunc enim nondum dederat. Tu quoque nondum habes. Nunquid Abrahã & Isaac, & Iacob & Ioseph, anteà nõ habebãt? Nũquid nõ habebãt id quod dicit, quãdo det dominus? Manifestũ est hîc significare illũ abũdantiã doni spiritus super eos oẽs. Quasi diceret: Nũc ista gratia particularis: sed tũc erit copiosum donũ. Quod cõpletum est apud nos in die Pentecostes. Atque idem sanè spiritus, qui apud nos descendit, descẽdebat priùs & apud illos in multos. Scriptum est enim deinceps: Et IESVS Naue, repletus est spiritu sapientiæ. Moyses enim manus suas super eum imposuit. Cernis vbique typum, & in veteri & in nouo testamento eundẽ. Tempore Moysis per manus impositionem dabatur spiritus: in te quoque baptizatum peruentura est gratia illius. Quomodo autem, id nondum dico: neq; enim eius rei nunc tempus est. Idem descendit in omnes iustos ac prophetas, Enoch & Enos. Noë ac reliquos, Abraham, Isaac, Iacob. Nam de eo, quòd Ioseph habuerit spiritum Dei, etiã Pharao expertus est. De Moyse enim, & rebus admirandis ab illo virtute spiritus sancti factis, persæpè audisti. Eundem spiritum & fortissimus Iacob habuit, & omnes sãcti: quamuis omnium nomina non prosequamur. Idem & in structuram illam tabernaculi missus, repleuit sapientia eos, qui circa Beseleel erant sapientes. In virtute huius spiritus, quemadmodũ in libro Iudicum habemus, Othoniel quidem iudicabat, Gedeon verò inualescebat. Iephta vincebat. Sampson vindicans, supra vires humanas certabat. Nam de Samuele & Dauide ex libris regũ manifestius est, quòd & ipsi in spiritu sancto prophetabant, & principes erant prophetarum. Ac Samuel quidem videns appellabatur: Dauid autem clarè dicit: Spiritus domini locutus est mihi. Et in psalmis: Spiritum sanctũ tuum ne auferas àme. Et rursus:

Spiritus in absentes à Mose seniores effusus.

Spiritus per manuum impositionem in lege debatur.

Artificiosam mentem donat spiritus.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Et vt est in Paralipomenis: Azarias particeps factus spiritus sancti, tempore Asaph regis, & Oziel, tempore Iosaphat. Ac rursus alius Azarias, qui est lapidatus. Esdras verò dicit: Et spiritum tuum bonum dedisti, ad erudiendũ illos. De Helia assumpto & Elizeo spiritiferis & mirificis hominibus, clarum est, etiamsi non dicamus, quòd pleni erant spiritu sancto. Quòd si quis omnes duodecim prophetarum libros prosequatur, quàm plurima de spiritu sancto inueniet testimonia. Michęas dicit in persona Dei: Nisi ego repletus fuero fortitudine spiritus domini. Ioël clamat: Et erit posteà dicit dominus: Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Et quæ sequuntur. Et Aggeus loquitur: Quapropter ego vobiscum sum dicit dominus omnipotens, & spiritus meus consistit super vos. Zacharias similiter: De sermonibus meis accipite, quæcunque & ego præcipio in spiritu seruis meis prophetis, & alia.

Septiformis spiritus & vnus.

Isaias dicit: Et requiescet super eum spiritus domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit illum spiritus timoris dei. Certum est, vnum quidem esse hunc spiritum indiuisibilem, diuersas autẽ illius operationes. Rursus: Iacob ô puer, ex quo dedi spiritum meum super illum. Et iterum: Ponam spiritum meum super semen tuum. Et nunc dominus misit me, & spiritus eius. Ac iterum: Hoc illis à me sit testamẽtum dicit dominus, spiritus meus qui est super te. Et iterum: Spiritus domini super me, propterea vnxit me. Et iterum de Iudæis: Ipsi autem ad iracundiam prouocauerũt, & contristarunt spiritum sanctum eius. Et vbi est, qui posuit in ipsis spiritum sancti sui? Habes similia & in Ezechiele, si deinceps audiens non defatigeris. Et cecidit super me spiritus, & dixit ad me: Hæc dicit dominus. Quòd ait cecidit super me, rectè sanè benignitatem illius designat. Quemadmodum Iacob reperto Ioseph, cecidit super collum eius, & sicut in Euangelijs, benignus ille pater filium ex peregrinatione redeuntem cernens, misericordia commotus est, & currens, cecidit super illius collum. Ac iterum in Ezechiele: Et duxit me in terrã Chaldæorum, in captiuitatem in visione, in spiritu Dei. Reliqua enim eiuscemodi, in his quæ de baptismate dixeramus iam, audisti. Et aspergam vos aqua munda. Et, Dabo vobis. Et, Facta est super me manus domini, & eduxit me in spiritu domini. Hic spiritus sapientem effecit animam Danielis, vt iuuenis ipse senum esset iudex. Damnabatur Susanna modestissima tanquàm impudica, vindex erat nemo. Quis enim aduersaretur principibus? Adducebatur iam in

Spiritus ex pueris sapientes facit.

mortem,

mortem,iam erat in manibus lictorum.Ecce adest auxiliator paracletus,spiritus qui omnem naturam intelligibilem sanctificat. Age inquit Daniel puer, argue senes de peccatis iuuenilibus. Scriptum est enim: Suscitauit Deus spiritum pueri iuuenculi. Et vt summatim ea comprehendamus per decretum Danielis, temperans illa & innocens seruatur. Testimonij enim causa,non enarrationis ea adduximus. Agnouit & Nabuchodonozor,quòd in Daniele esset spiritus sanctus: Dicit enim ad eum: Baltazar princeps ariolorum (inquit) hoc ego scio, quòd spiritus Dei sanctus est in te. Alterum quidem verum dixit, alterum falsum. Quòd enim haberet spiritum sanctum,verum erat: falsum autem, quòd esset princeps incantatorum: neque enim magus erat, sed ex spiritu sancto sapiens. Nam anteà illi indicauit visionem imaginis.Ipse viderat eam, & nesciebat. Dic inquit, mihi visionem, quam ego vidi, & quæ sit,nescio. Cernis vim spiritus sancti,videntes nesciunt, non videntes agnoscunt, & interpretantur. Et essent reuerà multa,quæ ex veteri lege recitaremus, & latiùs explicaremus de spiritu sancto: sed cùm breue sit tempus,oportet sese accõmodare mediocritati auscultationis.Itaq; satis sit ad prę̨sens,quæ ex veteri testamento produximus, deinceps si deus volet,ad ea quę̨ sunt in nouo, proxima Catechesi venie mus.Deus autem pacis per dominum nostrum IESVM Christum,& spiritum dilectionis,omnes nos spiritalibus,& cœlestibus ornet donis. Cui gloria, potentia in secula seculorum,
Amen.

CATECHESIS DECIMASEPTIMA ILLV-

minatorum Hierosolymis extemporanea, de Spiritu sancto. Et lectio ex Epistola prima ad Corinthios: Huic quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, & reliqua.

IN præcedenti Catechesi de spiritu sancto paruam quandam testimoniorum partem, quantum licuit auribus vestrę dilectionis proposuimus. Tunc enim, ne modum excederemus, promptitudinem dicendi cohibuimus. Inexhaustus enim de spiritu sancto sermo est, nunc autem reliquorum pars quædam rursus parua dicetur. Nollem enim infirmitatem vestram obrui multitudine scripturarum. Ingenuè nunc quoq; fatemur, nos non humanis ratiocinationibus vsuros: verùm ea tantùm quæ sunt in sacris scripturis commemoraturos: hoc enim est tutissimum, quemadmodum beatus Paulus inquit: Nõ in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis: sed in persuasionibus spiritus, spiritalibus spiritalia conferentes, & conformia viatoribus, & nauigantibus facientes: qui cùm vnum habeant scopum longi itineris, animi quidem promptitudine accelerant, propter corporis verò imbecillitatem, diuersis appellunt ciuitatibus. Ac disputationes quidem, seu dissertationes de spiritu sancto diuiduntur, ipse autem nequaquam diuiditur. Vnum tamen atque idem omnes complectuntur. Sicut etiam illi quos habuimus de patre sermones: alius quidem erat, de illius nos docens monarchia: alius de eo, quomodo pater vocatur omnipotens, alius, quomodo creator vniuersorũ. Neque tamẽ diuisio ista catechesеon, habuit fidei diuisionem. Vnus enim erat, & est pietatis scopus. Ac veluti in his etiam, quæ de vnigenito dei filio, aliàs quidem de illius diuinitate, aliàs verò de humanitate disseruimus. In multisque illis sermonibus, quos de domino nostro IESV Christo habuimus, multa diuidentes, indiuisam tamen in illum fidem annuntiauimus. Ad eundem modum de spiritu sancto, diuisis catechesibus, indiuisam in illum fidẽ asserimus. Vnus enim est atque idem spiritus, diuidens quidem charismata propria vnicuique prout vult, ipse autem indiuisus. Neque alius paracletus, alius spiritus sanctus, sed vnus atque idem, diuersis cognominibus appellatus. Viuens & subsistens, loquens & operãs, ac eorum quæ à Deo facta sunt omnium, ratione præditorum hominum, & angelorum sanctificator

Scripturis, nõ rationibus agendum.

Spiritus sancti variæ appellationes.

Ne itaque ob diuersas spiritus sancti appellationes, ignari plerique diuersos esse spiritus existiment, & non vnum atque eundem,

eundem, cùm vnus tantum sit, ideò Ecclesia catholica præmuni tum te cupiens reddere, istud in fidei professione tradidit. Crede re in vnum spiritum sanctum paracletum, qui locutus est per Prophetas, vt videre possis, multas quidem esse illius appellationes, vnum autem atque eundem spiritum sanctum. De quibus illius appellationibus paucas nunc ex multis vobis commemorabimus. Vocatur enim à multis spiritus sapientiæ, vt modò lectum est: Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ. Vocatur spiritus veritatis, vt dicit saluator: Quando venerit ille spiritus veritatis. Vocatur & paracletus, vt ille dixit: Si ego nõ abiero, paracletus non veniet ad vos. Quòd autem vnus idem sit, diuersis nominibus appellatus, ex his manifestè demonstratur, quæ sequuntur. Nam de eo, quòd spiritus sanctus & paracletus idem sint dictũ est: Paracletus spiritus sanctus: De eo verò, quod paracletus & spiritus veritatis idem sint, dicitur: Et aliùm paracletum dabo vobis, vt maneat vobiscum, spiritum, veritatis. Et iterum: Cùm venerit autem paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, spiritum veritatis. Vocatur spiritus Dei, sicut scriptũ est: Et vidi spiritum Dei descendentem. Et rursus: Qui spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei. Vocatur & spiritus patris, sicut dicit saluator: Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri loquitur in vobis. Et iterum Paulus: Huius gratia flecto genua mea ad patrẽ, &c, vt cõforter per spiritũ ipsius. Vocatur & spiritus domini, vt inquit Petrus: Quid vtiq; cõuenit vobis tẽtare spiritũ domini. Vocatur spiritus Dei & Christi, vt scribit Paulus: Vos autẽ nõ estis in carne, sed in spiritu: siquidẽ spiritus dei habitat in vobis. Si verò quis spiritũ Christi nõ habet, hic non est eius. Vocatur spiritus filij Dei, sicut est dictũ: Quod estis filij, misit Deus spiritũ filij sui. Vocatur spiritus Christi, sicut scriptũ est: In quod & quale tempus, manifestatus est in ipsis spiritus Christi. Et rursus: Per vestram deprecationem & subministrationem spiritus IESV Christi. Præter has autem & alias quoque spiritus sancti appellationes reperies. Vocatur enim spiritus sanctificationis, vt scriptum est: Secundum spiritum sanctificationis. Vocatur spiritus adoptionis filiorum, vt inquit Paulus: Non enim accepistis spiritum seruitutis in timorem, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba pater. Vocatur spiritus reuelationis, vt scriptum est: Det vobis spiritum reuelationis & sapientiæ. Vocatur spiritus promissionis, vt ipse dicit: In quem credentes signati estis spiritu promissionis sancto. Et alijs eiusce modi nominibus compluribus cognominatur. Audisti apertè &

Spiritus patris.

Spiritus filii.

Spiritus Christi.

in proxi-

in proxima superiori institutione, quòd in Psalmis quidem aliquando bonus spiritus, aliquando principalis nominatur. In Esaia verò spiritus sapientiæ ac intellectus, consilij & fortitudinis, scientię & pietatis, ac timoris domini appellatur. Per quę omnia, & quæ anteà, & quæ nunc dicta sunt, concluditur: diuersas quidem esse illius appellationes, sed ipse vnus tantùm est, atque idem spiritus sanctus, viuens & subsistens, qui vbique patri & filio adest, non qui ab ore, & labijs patris & filij loquendo formetu, rvel effletur, aut in aërem diffundatur, sed substantialis, loquens ipse & operans, administrans & sanctificans: Sed per stabilem tamen & consonam vnius existentis salutaris administrationis in nos, quæ fit à patre per filium cum spiritu sancto, sicut & anteà dixeramus. Meminisse enim vos eorum, quæ modò dicta sunt, volo, & apertè scire, quòd non alius in lege & Prophetis, alius verò in Euangelijs & Apostolis, sed vnus est atque idem spiritus, tam in veteri, quàm in nouo testamento, diuina dictans eloquia.

Spiritus sanctus quomodo à Patre & filio procedat docet.

**sit enuntiatus vel efflatus, aut in aerem diffusus*

Mundi quomodo gubernatio totius fiat.

Hic est spiritus sanctus, qui descenderat in virginem Mariam. Cùm enim Christus vnigenitus nasci deberet, virtus altissimi obumbrauit ipsi, & spiritus sanctus in illam veniens, sanctificauit eam: quò posset eum, per quem sunt omnia, suscipere. Nec opus est de eo multa facere verba, vt discas, impollutam & mundam fuisse illam generationem. Docuit enim id Gabriel, dicens ad eam: Nuntius ego sum eorum, quæ fieri debent, sed non cooperator, quamuis archangelus. Et, vt non ignores, quid mei sit muneris, gaudium ego annuntio tibi, quomodo autem parias, non à mea est gratia, spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Propterea & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Hic spiritus sanctus egit & in Elizabetha. Neque enim virgo tantùm, sed etiam coniugata illius notitiam habet. Siquidem secundum legem tantum erat coniugium. Et repleta spiritu sancto, prophetauit Elizabeth, dicitque bona serua de dño: Vnde mihi hoc, vt veniat mater domini mei ad me? Benedixit illam Elizabeth. Isto spiritu repletus Zacharias pater Ioannis, prophetauit: quòd bonorum exhibitor esset ille vnigenitus, & quòd per baptisma Ioannes esset pręcursor illius. Ab eodem spiritu sancto vnctus Simeon iustus, non visurum se mortem cognouit, antequàm Christum domini videret: quem in vlnas accipiens in templo, apertè de illo testificatus est. Et Ioannes repletus spiritu sancto in vtero matris, deinceps eum qui spiritum illi dedit, annuntians, Ego, inquit, vos baptizo in aqua ad

pœni-

pœnitentiam,qui autem post me venturus est, &c,ipse vos baptizabit in spiritu sancto & igne.Cur autẽ dicit,& igne? Quoniã in linguis igneis aduẽtus spiritꝰ sãcti apparuit. De quo dicit gaudẽs Dominus:Ignẽ veni mittere in terrã,& quid volo,nisi vt excãdescat.Hic spiritus sanctus descẽdit cũ Dominus baptizaretur:ne baptizati dignitas lateret,vt Ioannes inquit: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, in quemcunque videris spiritum descendentem,& manentem super eum, ipse est qui baptizat in spiritu sancto.Sed cõsidera quid dicat Euangelium: Aperti sunt cœli:aperti sunt propter dignitatem descendentis verbi: Ecce enim,inquit, aperti sunt cœli: & vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam,& venientem super eum.Indicat quòd suæ potestatis motu descenderet. Oportebat enim, vt interpretati sunt aliqui,primitias & præcipua sancti spiritus,baptizatę humanitati Christi saluatoris exhiberi,qui talem alijs dat gratiam. Descendit autem fortè in specie columbæ mundæ,vt aliqui dicunt, tanquàm simplicis,propter puros & innocentes, & pueros paruulos,qui nascuntur ex spiritu sancto: & propter remissionem peccatorum,orationibus consequẽdam.Sicut in ænigmate prædictum est de eo, quod super Christum visibiliter apparebit. In Canticis enim de Sponso præcinit,& dicit:Oculi tui sicut columbæ, super plenitudines aquarum. Huius aliqua ex parte ferebat typum secundum quosdam, columba illa Noë.Nam sicut per illius lignum & aquam facta est ipsis quidem salus: nobis autem initium nouæ generationis: & columba reuersa est ad eum sub vesperum, habens virgam oleę:Sic,inquiunt, & spiritus sanctus descendit super verum Noë,alterius generationis factorem,vniuersorumque generum voluntates in vnum cõgregantẽ. Quorum typum habebant diuersæ in arca animantium species.Nónne hoc tempore spiritales lupi cum agnis simul pascuntur?Nónne habet Ecclesia vitulum & taurum cum leone simul pascentes?Sicut ad hodiernam vsque diem cernimus mundanos principes regi & instrui ab Ecclesiasticis. Descendit igitur,vt interpretantur aliqui, intelligibilis seu spiritalis columba tempore baptismatis,vt ostenderet hunc esse,qui per lignum crucis saluat credentes,qui sub vesperum per mortem suam effecturus sit salutem.Ac de his & alia,vt puto posset esse enarratio.

Primitiæ spiritus in Christo.

Principes mũdi subsunt Ecclesiasticis

Cæterùm Saluatorem ipsum amplius audire debemus, de sancto spiritu verba faciẽtem.Dicit enim:Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu,non poterit ingredi in regnum Dei. Et quòd à patre sit gratia,dicit: Quantò magis pater cœlestis dabit spiritum

ſanctum credentibus ipſi. Et quòd Deus in ſpiritu ſit adorandus: Sed veniet, inquit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & veritate. Tales enim pater quęrit, qui adorent eum. Spiritus eſt Deus, & qui adorat eum, oportet vt in ſpiritu & veritate adorent eum. Et rurſus: Si ego in ſpiritu Dei eijcio dæmonia. Et ſtatim: Propterea dico vobis: Omne peccatũ & blaſphemia dimittetur hominibus, ſpiritus autem blaſphemia non dimittetur. Et: Si quis dixerit verbum contra filium hominis, dimittetur illi: ſi quis autem dixerit verbum contra ſpiritum ſanctum, non dimittetur illi, neque in pręſenti, neque in futuro ſeculo. Et iterum: Et ego rogabo patrẽ, & alium paracletum dabit vobis, ſpiritũ veritatis, quẽ mũdus capere nõpoteſt, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Et iterũ: Hęc locutus sũ vobis, apud vos manens. Paracletus autem ſpiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille docebit vos omnia, & reducet in memoriam omnia quæcunque dixi vobis. Et: Cùm autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre ſpiritum veritatis, qui à patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. Et: Si ego nõ abiero, paracletus non veniet ad vos: & cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio. Et: Adhuc multa habeo dicere vobis, ſed non poteſtis portare modò: quando autem venerit ille ſpiritus veritatis, ediſſeret vobis omnem veritatem: Non enim loquetur à ſemetipſo. Et: Sed quęcunque audiet loquetur, & quæ ventura ſunt, annuntiabit vobis. Ille me glorificabit: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Ipſius nunc vnigeniti eloquia lego tibi, ne verbis humanis aurem adhibeas. Huius ſpiritus ſancti participationem largitus eſt Apoſtolis, vt ſcriptum eſt: Hoc cùm dixiſſet, inſufflauit, & dicit eis: Accipite ſpiritum ſanctũ. Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis, quorũ retinueritis, retenta erunt. Altera hæc eſt ſufflatio: quandoquidem illa prima obſcurata eſt per voluntaria peccata, vt impleatur quod ſcriptum eſt: Aſcendet ſufflans in faciem tuam, liberans te de tribulatione. Vnde autem aſcendet, vtrùm ex inferno? Sic enim narrabat Euangelium, quod poſt reſurrectionem, tunc demùm inſufflauit in eos. Sed dat quidem nunc gratiam, addit autem auctarium amplius, & ait ad eos: Paratus quidem ego ſum dare, ſed nondum id capere poteſtis. Interea accipite gratiam qui poteſtis, deinceps autem ſuſcipietis abũdantiorem, vos ſedete in ciuitate Hieruſalem, donec induamini virtute ex alto. Nunc accipite ex parte, tunc accipietis perfectè. Nam ille qui ſuſcipit, perſæpè habet id ex parte: qui autem veſte induitur, vn-

Blaſphemia in ſpiritum non dimittetur.

Noua Dei ſufflatio.

dique

dique illa circundatur. Non metuatis, inquit, arma diaboli & iacula, habetis enim virtutem ſpiritus ſancti. Memineritis autem eorum quæ modò dicta ſunt, quòd ſpiritus non diuiditur, ſed gratia quæ fit per illum. Aſcendit igitur in cœlum, & promiſſionem impleuit. Dixit enim ad ipſos: Et ego rogabo patrem, & aliũ paracletum dabit vobis. Sedebant expectantes aduentum ſpiritus, & cùm eſſent completi dies pentecoſtes, hic in ciuitate iſta Hieruſalem (noſtra enim eſt iſta gloriatio, & loquimur non de his beneficijs, quæ apud alios facta bonis: ſed de his quę apud nos exhibita ſunt) Pentecoſtes igitur cùm eſſet, reſidebant, & aduenit paracletus de cœlis cuſtos, & ſanctificator eccleſię, animarum gubernator, & fluctuantium ſeruator. Remunerator certãtium, & vincentium coronator. Deſcendit autem vt & vittute induat, & vt baptizet Apoſtolos: Dicit enim dominus: Vos autem baptizabimini in ſpiritu ſancto: non ita multo poſt: Non eſt iſta gratia ex parte, ſed perfecta virtus. Vt enim is qui mergitur in aquas & baptizatur, vndique ab aquis circundatur: ſic & illi à ſpiritu baptizati ſunt perfectè. Sed aqua quidem exterius circundat, ſpiritus autem interiorem animam abluit incomprehenſibiliter. Et quid miraris? accipe exemplum corporeum, paruum quidem & facile, vtile autem ſimplicioribus. Si ignis per ferri ſpiſſitudinem interius tranſiens, totum efficit ignem, & frigidum fit feruens, & nigrum fit lucidum. Si ignis cùm ſit corpus in corpus ferri ingrediens, ſic abſque vllo impedimento vt vides operatur, quid miraris, ſi ſpiritus ſanctus in animæ interiora ingreditur? Ne autem tantæ gratiæ deſcendentis lateret magnitudo, tãquàm tuba cœleſtis intonuit. Factus eſt, inquit, repentè ſonus de cœlo, tanquàm aduenientis ſpiritus vehementis, ſignificando præſentiam illius, qui id concedit hominibus, vt vi rapiant regnum cœlorũ: vt & oculi viderent igneas linguas & aures audirẽt ſonũ. Et repleuit domum vbi erant ſedentes. Facta eſt receptaculum ſpiritalis aquæ illa domus: Diſcipuli intus ſedebant, & domus vniuerſa repleta eſt. Baptizati igitur ſunt ſine vllo defectu, ſecundum promiſsionem. Induti ſunt in animo & corpore diuino indumento, & ſalutari: & apparuerunt illis diſpertitæ linguę tãquàm ignis: ſeditque ſupra ſingulos ipſorum, & repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto. Ignem non vrentem accipiebant, ſed ſalutarem ignẽ, comburentẽ delẽtemq; ſpinas peccatorũ, animã autẽ illuminantẽ. Hic etiã núc in vos vẽturus eſt, & ſpinoſa quidẽ peccata veſtra ſublatur⁹ & diſſoluturus: pretioſã autẽ aĩæ veſtrępoſſeſsionẽ illuſtratur⁹ & gratiã vobis largitur⁹. Quę etiã Apoſtolis donata eſt.

Apoſtoli ſpiritu ſancto baptizati ſunt.

Immerſio in baptiſmo.

Spiritus quo modo penetret animam

In ſpecie autẽ linguarũ ignearũ ſedit ſuper illos, vt nouæ coronę ſpiritales, per linguas igneas imponantur capiti illorum. Gladio igneo anteà prohibebat ingreſſum paradiſi. Ignea autẽ lingua ſalutarẽ pręſtitit gratiã. Et cœperũt loqui varijs linguis, prout ſpiritus dabat eloqui illis. Gallilæus Petrus & Andreas, vel Perſica, vel Medica lingua loquebatur. Ioannes & reliqui Apoſtoli, omni lingua loquebantur eis, qui ex gentibus erant. Non enim nunc incepit huc externarum gẽtium multitudo vndique congregari, ſed iã olim. Quis tantus inueniatur doctor? qui ſtatim docuit quę non didicerant. Tot annis per Grammaticam, & per alias artes diſcunt tantùm Græcè benè loqui, neque tamen omnes ſimiliter loquũtur, ſed Rhetor pulchrè, grammaticus aliquando nõ pulchrè. Et qui grammaticã nouit, philoſophica ignorat: Spiritus autem ſanctus docuit multas linguas, quas toto illi tempore ſuperiori ignorabant. Hæc eſt reuerà multa ſapientia, hæc veritas & potentia. Qualis comparatio, ignorantiæ illius, quæ fuit à multo tempore, ad repentinam externarum, diuerſarumq; linguarum cognitionem. Facta eſt confuſio multitudinis audientium. Alia ſanè confuſio ab illa mala, quæ fuit in Babylone. Nam illa confuſione linguarum, facta eſt diuiſio voluntatum: quoniã ſapere illud fuit contra Deum. Hic autem reſtauratio, & vnio ſententiarum: quoniam pium erat hoc ſtudium. Et ſicut per illos caſus & defectio à Deo, ſic per hos reductio ad Deum. Per quæ fuit defectio, per eadem reductio. Vnde mirabantur dicentes: Quomodo nos audiuimus loquentes illos? Nihil admirandum, ſi vos ignoratis, cùm & Nicodemus ignorabat ſpiritus aduentum. Ad illum enim dictum erat: Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quò vadat. Et cùm audiendo vocem illius, neſcimus tamen vnde veniat, aut quò vadat, ſubſtantiam eius quomodo enarrauerimus? Alij autem irridentes dicebant: quia muſto pleni ſunt iſti. Vera quidem dicentes, ſed irridẽdo. Nouum enim verè erat illud vinum noui teſtamenti gratia. Sed nouum hoc vinum eſt à ſpiritali vinea, quæ iam anteà perſæpè in Prophetis fructum ferebat, & in nouo teſtamento refloruit. Vt enim ſenſibilis vinea ſemper manet eadem, ſucceſſu autẽ temporum nouos adfert fructus: Sic & ſpiritus ſanctus idem ſemper manens ſicuti eſt, qui ſæpè in Prophetis operabatur, nunc nouum quiddam & admirandum declarauit. Extenſa fuit & in patres gratia, ſed hîc per excellentiam. Illic enim participes tantùm erant ſpiritus ſancti, hîc autem perfectè ab illo baptizati, ſeu immerſi ſunt. Sed Petrus habens ſpiritum ſanctum & ſciẽs quid

Linguarum & voluntatum confuſio in Babylone.

Vinum ſpiritus.

quid haberet.dicit:Viri Israëlitæ, qui Ioëlem quidem profitemini,nescitis autem quæ scripta sunt ab eo. Non ita sicut vos existimatis, isti ebrij sunt, sed sicut scriptum est:Inebriabuntur pinguedine domus tuæ,& torrente voluptatis tuæ potabis eos. Inebriati sunt sobria ebrietate,quę peccatum mortificat,& cor viuificat. Ebrietate omninò cõtraria illi corporeæ ebrietati.Illa enim & cognitorum inducit obliuionem:hæc autem etiam ignoratorum notitiam donat. Inebriati sunt bibentes vinum spiritalis vitis,illius quę dicit:Ego sum vitis,vos autem palmites.Si autem non cõfiditis mihi,ex ipso tempore intelligetis verum esse,quod dicitur:est enim hora tertia diei. Hora enim tertia crucifixus est, vt Marcus dicit:Tertia hora misit gratiam. Non enim alia gratia illius,& alia huius,sed qui tunc crucifixus est,&promisit,impleuit quod promisit.Quòd si testimonium quoque habere vultis, audite quod etiam dictum est per Ioëlem prophetam:Et erit posteà dicit Dominus:Effundam de spiritu meo super omnem carnem.Quod autem dicit, effundam, abundantem designat spiritus donationem:nam hîc non ad mensuram Deus dat spiritum. Deus Pater enim amat filium,&omnia dedit in manum eius.Dedit illi potestatem,etiam donare gratiam spiritus sancti, cui IESVS voluerit. Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri & filiæ. Et deinde: Et super seruos meos,& super seruas meas, in diebus illis effundam de spiritu meo,& prophetabunt. Spiritus sanctus non est acceptor personarum.Non enim quærit status amplitudinem,sed animæ probitatem:neque diuites efferantur,neque pauperes animum deijciant, tantummodo vnusquisque sese paret ad cœlestis gratiæ susceptionem.

Ebrietas sobria quæsit.

Tertia hora crucifixus & spiritum meus sit.

Multa quidem vobis hodiè dixi,quibus fortè iam aures fatigatæ sunt, sed longè plura prætermisi, ac opus esset reuerà de doctrina spiritus sãcti & tertia & pluribus catechesibus. Ignoscatur autem nobis id vtrunque.Nam cùm & festu m paschatis iam instet,& sermo nobis hodiè prolixus erat. Itaque tot testimonia, quot essent necessaria,de nouo testamento in medium producere non licet.Desunt enim nobis multa ex actis Apostolorum.In quibus spiritus sancti gratia,in Petro & omnibus simul Apostolis operabatur.Desunt multa & ex catholicis, & Pauli quatuordecim epistolis,ex quibus pauca nunc tanquàm ex magno prato flores colligere conabimur.In virtute enim spiritus sancti,volũtate patris & filij, stans Petrus cum vndecim, & eleuans vocem suam,(secundum illud:Exalta cum sonitu vocem tuam,qui euã-

Rete verborum.

gelizas Ieruſalem)reti verborum animas circiter trium millium cepit. Talis & in alijs ſimul Apoſtolis gratia abundabat, vt etiam ex Iudæis ipſis qui Chriſtum crucifixerant tot crediderint, & in nomine Chriſti baptizati ſint, & perſeuerarũt in doctrina Apoſtolorum & orarent. In eadem quoque virtute Petrus & Ioannes, ingredientes templum circa horam nonam orationis, & eũ qui fuit in porta ſpetioſa claudum ab vtero matris, ab annis quadraginta ſic exiſtentem, in nomine Chriſti curarunt, vt impleretur quod dictum eſt: Tunc ſaltabit claudus vti ceruus. Spiritualis enim doctrinę ſagena quinque millia credentium ſimul ceperũt. Principes autem populi, & ſacerdotum errantes redarguerunt: non per propriam ſapientiam: ſine literis enim & idiotæ erant, ſed per ſpiritus efficaciam. Scriptum eſt enim: Tunc Petrus plenus ſpiritu ſancto dixit ad ipſos: Ac tãtoperè per duodecim Apoſtolos, ſancti ſpiritus in credentibus virtus operabatur, vt vnum eſſe illis cor, & anima vna videretur. Communia erant illis omnia, & poſſeſſores pretia poſſeſsionum venditarum, libenter illis adferebant, ita vt egenus inter illos eſſet nemo. Ananias verò & Zaphira volentes mentiri ſpiritui ſancto, dignam perpeſsi ſunt vindictam. Per manus Apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia multa in populo, ac tãta circumfuſa erat Apoſtolis ſpiritalis gratia, vt quamuis manſueti eſſent, metuendi tamẽ viderentur. Denique nemo auſus eſt illos prohibere, ſed populus etiam magnificabat illos, & nationes illis accedebant. Et fidelium tam virorum, quàm mulierum numerus augebatur, & ægrotorum cum lectis, & grabatis plateæ plenæ erant, vt prætereunte Petro, vel vmbra aliquem ex illis attingeret. Congregabatur & ex vicinis ciuitatibus multitudo in ſanctam hanc ciuitatem Ieruſalem, adferentes ægrotos & infirmos, & à ſpiritibus immundis obſeſſos, qui omnes curabantur in hac ſpiritus ſancti virtute. Tum verò duodecim Apoſtoli, propter Chriſti prædicationem, à Principibus ſacerdotum coniecti in cuſtodiam, ab angelo noctu prẹter opinionem ab ea ſunt educti, & rurſus ex templo ad tribunal coram illis adducti, intrepidè redarguebant illos in his quæ contra Chriſtum dicebant: atque hoc addebant quòd ſpiritum ſanctum dedit deus credentibus ipſi: & propterea vapulati ibant gaudentes: neque ceſſabant docere & euangelizare Chriſtum IESVM.

Sagena doctrinæ.

Diaconi ſeptem Hieroſolymis.

Neque verò in duodecim tãtùm Apoſtolis erat eiuſmodi gratia: verùmetiam in primogenitis filijs huius aliquando ſterilis eccleſiæ, in illis inquam, ſeptem diaconis. Et ipſi enim redarguebant, vt ſcriptum eſt, pleni ſpiritu ſancto & ſapientia. Ex quibus præci-

præcipuus Stephanus, martyrum ſummus. Vir plenus fide, & ſpiritu ſancto. Faciebat ſigna & prodigia magna in populo, certabatque cum aduerſarijs, neque poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, qui per eum loquebatur. Calumnijs autem oppreſſus, & ad iudicium adductus, reſplenduit vti angelus: vt etiam hi qui ſedebant in concilio, viderent faciem eius tanquàm faciem angeli. Quia verò ſapienter reſponderet, & duræ ceruicis, incircunciſique cordis & aurium Iudæos redargueret, qui sẽper ſpiritui ſancto reluctantur, cùm lapidaretur, vidit cœlos apertos. Vidit & filium hominis ſtantem ad dexteram patris. Vidit non ſua virtute, ſed, vt inquit ſcriptura, diuina. Cùm autem eſſet plenus ſpiritu ſancto, ſuſpiciens in cœlum, vidit gloriam Dei, & IESVM ſtantem ad dexteram Dei. In eadem virtute ſpiritus ſancti, & Philippus in nomine Chriſti, in ciuitate Samariæ, eijciebat ſpiritus immũdos, magna voce clamãtes: Paralyticos & claudos curauit, multamq; credentiũ in Chriſtũ adiunxit multitudinẽ. Aduenientes deinde Petrus & Ioannes per orationem & manuum impoſitionem, ſpiritus ſancti communicationem tradebant, à qua ſolus Simon magus iuſtè excluſus eſt. Aliàs quoque idem Philippus ab angelo domini vocatus in itinere, propter illum pientiſsimũ Eunuchũ Aethiopem & ab ipſo etiam ſpiritu admonitus, acceſſit, & adiunxit ſe currui illius, docuitq; Aethiopẽ, & baptizauit, atq; in Aethiopiam vſq; Chriſti præconem miſit, ſicut ſcriptum eſt: Aethiopia prẹueniet manus eius Deo. Et: Raptus à ſpiritu, reliquis ciuitatibus prędicabat.

Eodem ſpiritu ſancto repletus erat Paulus, poſteaquàm vocatus eſt à domino: Et teſtis nobis occurrit horũ verborum Ananias ille pius, in Damaſco dicens ad illum: Dominus IESVS, qui in via, qua veniebas apparuit tibi, ipſe miſit me, vt viſum recipias, & replearis ſpiritu ſancto. Quod etiam ſtatim effecit, ac oculorũ quidem Pauli cæcitatem conuertit in viſum: animæ autem ſigillum ſpiritus impreſsit, vasque illud electum effecit, quod apertè illius Domini qui apparuit ei, nomen ferret, & perſecutorem in prædicatorem, ſeruumque bonum mutauit, qui ab Hieroſolymis vſque ad Illiricum diſſeminauit Euangelium: qui Regiam quoque Romam inſtituebat, & in Hiſpaniam vſque promptitudinem prædicationis extendit. Milleque intereà ſuſtinuit labores & incommoda: ſignaque & portenta peregit, de quo hæc ſufficiant.

Sigillum ſpiritus.

In eadem ſpiritus ſancti virtute & Principes Apoſtolorum, & regni cælorum Clauiger Petrus, Lyddæ, quæ nunc Diapolis vocatur,

Petrus Princeps Apoſtolorum, & clauiger cœli.

catur,in Christi nomine paraliticum AEneam curauit. Ioppæ verò Tabitham à mortuis excitauit, vbi etiam in domo cùm esset,in extasi vidit cœlum apertum, & inde linteum veluti vas demitti,plenum animantibus diuersorum generum & specierũ: audiuitq; vocem dicentem,nihil esse homini immundum, ita vt neminẽ deinceps cõmunẽ,aut immũdũ diceret hominẽ,etiãsi ex Græcis esset,id manifestè didicit.Et à Cornelio requisitus, ab eodem rursus spiritu apertè audiuit: Ecce viri quærunt te:sed consurgens vade cum illis,nihil discernens,quia ego misi illos:vnde palam est, quòd etiam hi qui sunt ex gentibus credentes,gratiæ spiritus sancti fiunt participes. Cùm autem Petrus venisset Cæsareã,& de Christo prædicaret, scriptura dicit de Cornelio,& ijs qui cum illo erant:Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit spiritus sanctus super oẽs audiẽtes illũ sermonẽ. Ita vt hi,qui ex circũcisione cũ Petro venerãt,mirarẽtur,& stupefacti dicerẽt,quòd etiã in gẽtes donũ spiritus sancti effusũ est. Antiochiæ verò Siriæ ciuitate clarissima prædicationis Christi cooperator bonorũ Barnabas hinc missus, vir bonus & plenus fide & spiritu sancto:magnã credentiũ in Christũ messẽ facit. Atq; Paulũ Tarso Antiochiã,cooperatorem induxit. Quoniã autẽ turbæ iam multæ in illa Ecclesia erant ab illis conuersæ,factũ est,vt Antiochiæ primũ discipuli vocarentur Christiani, vti olim à domino prædictum est: credentibus nomen nouum ex spiritu sancto imponendo. Diffusa posteà à domino Antiochiæ maiori gratia spirituali.Prophetæ etiam erant illic & doctores,inter quos & Agabus.Sacrificantibus autem illis domino & ieiunantibus, dixit spiritus sanctus: Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus,ad quod elegi eos:& impositis manibus,missi sunt à spiritu sancto. Certum est autem spiritum loquentem & mittentem viuere, subsistere & agere,vt anteà diximus.

Christiani Antiochiæ primum vocati.

Idem spiritus sanctus in vnitate patris & filij,nouum testamẽtum in Ecclesia catholica constituens,liberauit nos à graui iugo legis,de communibus & immũdis cibis dico,sabbatisque,& Nouilunijs,atque circuncisione,de aspersionibus,& sacrificijs,quæ ad tempus quidem data, vmbram habebant futurorum bonorum.Aduenientе autem veritate, cohibita sunt meritò. Nam propter eam quæ fuit Antiochiæ quæstionem,qui dicebant,necessarium esse circumcidi,& legem Moysi seruare, Paulo & Barnaba misso Hierosolymam, Apostoli qui hîc erant Hierosolymis,omnibus legalibus,& typicis rebus per scriptam Epistolam vniuersum orbem liberarunt. Num data illis erat tantæ rei au-

Apostolico decreto à lege sumus liberati.

thoritas

thoritas? Sed fatentur ſcripto miſſo: Viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis, nihil amplius oneris nobis imponere præter hæc quæ neceſſaria ſunt, vt abſtineatis ab Idolothytis, à ſanguine ſuffocato & fornicatiõe. Per quod ſcriptum hoc apertè declararunt. Quod tametſi ab hominibus Apoſtolis hoc erat ſcriptũ, ſed ex ſpiritu ſancto Oecumenica eſt conſtitutio. Quod ij accipientes qui erãt cum Barnaba & Paulo, in vniuerſum orbem deuexerunt. Cùm iam eò perducta eſt oratio, dari mihi veniam peto à vobis dilecti: imò magis ab ipſo ſpiritu in Paulo habitante: ſi non omnia eiuſmodi perſequi potero, cùm propter imbecillitatem meam, tum verò laſsitudinem veſtram. Quando enim dignè poſſem enarrare, quæ virtute ſpiritus ſancti, in Chriſti nomine, miracula facta ſunt? quæ in Cypro facta sũt cõtra Elimã Magũ, claudorũ & ægrotorum curationes: in Cylicia, Phrygia, Galatia, Miſia, & Macedonia. Tum Philippis prędicãdo, & Phytonis in Chriſti nomine expulſionẽ, & nocte poſt terræ motũ cuſtodis, & totius domus per baptiſmũ ſalutẽ. Tũ Theſſalonicę & medijs Athenis in Areopago cõcionẽ, aut Corinthi, & in tota Achaia doctrinas. Quomodo autẽ pro dignitate differã, quæ à ſpiritu ſancto per Paulũ factæ ſunt Epheſi operationes? Quomodo ignorantes quidem iſtic priùs à Paulo edocti cognouerunt, & cum manus illis imponeret, veniebat in eos ſpiritus ſanctus, & loquebantur linguis, & prophetabant. Tanta autem erat in illo gratia ſpiritalis, vt non modò quos attigiſſet ſanaret: verum etiam de corpore eius ſudaria & ſemicinctia morbos curarent, & expellebant dęmonia. Quid eos commemorem, qui curioſa fuerant ſectati, & congeſtos libros coram omnibus combuſſerunt? Prætereo Eutichum, Troade ſomno correptum, & à tertio cænaculo lapſum, ſublatumque mortuũ, à Paulo verò ſeruatum. Prætereo quid, ad Seniores Epheſi Miletum vocatos apertè locutus eſt, quòd ſpiritus ſanctus, per omnes ciuitates teſtimonium perhibebit mihi dicens: Propter hoc enim dictum, quòd per omnes ciuitates manifeſtabat Paulus: quòd ea, quæ in vnaquaque ciuitate ab illo fiebant miracula, ſpiritus ſancti energia eſſent, & nutu Dei, & in Chriſti nomine, qui per eum loquebatur. Virtute huius ſpiritus ſancti feſtinauit in hanc ſanctam Hieruſalem idẽ Paulus. Et quæ Agabus euẽtura illi in ſpiritu prædixerat, pertulit, de Chriſto differens: Cæſaream verò adductus, & in medijs iudiciorum ſubſellijs, nunc coram Felice, nunc coram Feſto pręſide & Agrippa rege, tantam ex ſpiritu ſancto victricem ſapientiæ gratiam habebat, vt ipſe iam rex Iudęorum Agrippa diceret: Parum abeſt, quin me feceris

Humana cõſtitutio obligat omnes.

Opera ſpiritus.

Christianum. Idem spiritus sanctus eam vim Paulo prębuit, vt cùm in Melita ictus esset à lacerta, nihil ei noceret, diuersasque rationes sanandi ęgrotos distribuit. Idem spiritus sanctus, eum qui fuit persecutor, præconem Christi factum ad Regiam vsque Romam perduxit, qui multis illic Iudæis, vt in Christum crederent, persuasit. Contradicentibus autem apertè dicebat: Rectè locutus est spiritus sanctus per Esaiam prophetam dicentem ad patres, &c. Et quòd spiritu sancto plenus erat Paulus, & eius socij omnes Apostoli: & qui per eos in patrem, filium, & spiritum sanctum consubstantialem crediderunt. Audi, quàm apertè dicat in Epistolis suis scribens: Et sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanę sapiętię verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis. Et iterum: Qui nos signauit Deus, dans nobis in hoc ipsum arrabonem spiritus. Et iterum: Qui excitauit Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, per inhabitantem ipsius spiritum in vobis. Et rursus ad Timotheum scribit: Bonum depositum custodi per spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Quòd autem spiritus viuat, & subsistat, & loquatur, & prædicit, sæpè iam vobis in superioribus dictum est. Scribit enim apertè ad Timotheum Paulus: Spiritus autem apertè dicit, quòd in nouissimis temporibus discedent quidam à fide. Quæ quidem schismata non solùm in superioribus, verùmetiam nostris temporibus videmus, vario & multifido hæreticorum errore existente. Et iterum: Quæ alijs generationibus non indicauit, ea nunc filijs hominum reuelauit sanctis Apostolis suis & Prophetis in spiritu, & reliqua. Et iterum: Testimonium autem perhibet nobis spiritus sanctus. Et rursus iustitiæ milites adhortans, dicit: Galeam salutis accipite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, cum omni oratione & deprecatione. Et: Non inebriemini vino, in quo est luxuria, sed impleamini spiritu, loquentes mutuò, in psalmis & hymnis, & cãticis spiritalib⁹. Et: Gratia Domini nostri IESV Christi, & dilectio Dei, & cõmunicatio spiritus sancti, sit cũ omnibus vobis. Per quę quidẽ omnia, & quæ prętermissa sunt lõgè plura, intelligentibus patet, substantialis, sanctificans, & operans virtus spiritus sancti. Tempus enim me deficerẽt, si, quæ reliqua sunt de spiritu sancto, dicere velim, ex his quatuordecim Pauli Epistolis, in quibus diuersimodè, sufficienter pieq; docuit. Munus autem erit ipsius spiritus sancti: nobis quidem si in aliquibus deficimus propter paucos hosce prædictos dies, veniam dare: Vobis verò auditoribus eorum, quæ desunt perfectiorem infundere cognitionem, pręsertim vobis, qui crebriori diuinarum

rum ſcripturarum ſtudetis lectioni, vt ea facilè diſcatis.

Iam verò ex præſentibus hiſce catecheſibus, & ex his, quæ à nobis anteà dicta ſunt fidem habetis firmiorem, in vnum Deum patrem omnipotentem, & in dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, filium Dei vnigenitum, & in ſpiritum ſanctum conſubſtantialem & paracletum. Dictionis autem huius, & appellationis ſpiritꝰ, in ſacris ſcripturis eſt etiam cum alijs communicatio. Dicitur enim & de patre, ſpiritus eſt Deus, vt in Euangelio Ioannis ſcriptum eſt. Et de filio: Spiritus faciei noſtræ Chriſtus dominus, vt dicit Ieremias Propheta. Et de ſpiritu ſancto: Paracletus autem ſpiritus ſanctus, vt dictum eſt. His itaque quæ in ordine fidei pia ſunt intellectis, & Sabellij reiecto errore, ad ea quæ nunc vrgent, & vobis vtilia ſunt, ſermonem conuertamus.

Caue ne fortè ſimulans tanquàm Simon ad baptiſmum accedas, cor autem tuum veritatem non quærat. Noſtrum eſt teſtificari: veſtrum autem confirmari. Si firmiter in fide perſtiteris, beatus euades: ſi incideris in perfidiam, abijce deinceps illam, & ſis certiſsimus. Tempore enim baptiſmatis cùm ad Epiſcopum accedis, aut preſbyterum, aut Diaconum, vbique enim gratia, & in oppidis, & in ciuitatibꝰ, & apud idiotas, & apud eruditos, & apud ſeruos, & apud liberos: quoniam non ex hominibus eſt ea gratia. Tu quidem accede ad baptiſmum: accede autem, non vultum tãtùm iſtum viſibilẽ baptizantium reſpiciens, ſed memineris iſtius ſpiritus ſancti, de quo nunc nobis ſermo eſt. Hic enim paratus adeſt obſignare animã tuã, & dare tibi ſignaculũ, quod dęmones tremũt, cæleſte quoddã & diuinũ, ſicut ſcriptũ eſt: In quo etiã credẽtes ſignati eſtis ſpiritu ſancto promiſsionis. Proba ergo animã, ne proijcias margaritas ante porcos. Sin autẽ ſimulas, nihilominꝰ homines quidẽ te baptizãt: ſpiritus autẽ te non baptizat. Si verò ex fide accedis, homines quidem id quod videri poteſt miniſtrãt, ſpiritus autem ſanctus ſimul inuiſibilia magna efficit. Vnica hora in magnam venis diſquiſitionem, in magnumque certamen: Quòd ſi perdideris non præparatur malum: ſi verò gratia tibi fuerit donata, illuminabitur anima tua: accipies virtutem, quam non habebas. Accipies arma dæmonibus horrenda: quæ quidem arma ſi non abieceris, ſuper anima ſignaculum habebis, ad quod dæmon non accedet. Timet enim propterea, quia in ſpiritu Dei eijciuntur dæmonia: ſi credideris, non modò remiſsionem accipies peccatorum: verùmetiam ſupra vires humanas facies. Vtinã verò dignus ſis etiam prophetico chariſmate. Accipies enim tantum gratiæ, quantum capere poteris, & non quantum ego dico.

Parua nanq; me dicere conuenit, te verò maiora accipere. Quoniam mercatura lata est fides. Custos paracletus est de te sollicitus, tanquã de suo milite, de introitu tuo, & exitu, de insidiatoribus tuis, & dabit tibi omnigena charismatũ dona, si nõ per peccata illum contristaueris. Scriptum est enim: Nolite contristare spiritum sanctũ Dei, in quo signati estis, in diem redemptionis. Quid igitur est præclarius, quàm eiusmodi gratiam conseruare. Prompti sitis ad accipiendum donum spiritus, accipientes autẽ, ne deinceps illud abijciatis. Ipse autem Deus vniuersorum, qui locutus est in spiritu sancto per prophetas: qui misit illum in sanctos Apostolos in die pentecostes, eundem & nunc ipse ad vos mittat, & per hunc eundem nos custodiat, communem omnibus nobis exhibens beneficentiam: vt vbique fructus spiritus sancti reddamus, dilectionem, gaudium, pacem, longanimitatem, bonitatem, beneficentiam, fidem, mansuetudinem, continentiam, in Christo IESV domino nostro, per quem, & cum quo gloria patri cum filio, & spiritui sancto, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

CATECHESIS DECIMAOCTAVA ILLVMINATORUM

Hierosolymis extemporanea, de eo: In vnam sanctam Catholicam Ecclesiam, & in carnis resurrectionem, & in vitam æternam. & lectio ex Ezechiele: Et facta est super me manus domini, & posuit me in medio campi, & hic erat plenus ossibus hominum, & reliqua.

RAdix totius bonæ operationis, est spes resurrectionis: expectatio enim retributionis incitat*mentem in beneficentiam: Promptiorque fit omnis operarius ad perferẽdos labores, si præmiũ laborum præuiderit. Qui verò sine præmio laborant, & anima & corpus illis concidit. Miles expectans præmia, alacris est in bellum. Nemo verò tam indiscreto regi militauerit, qui non soleat brauia laborum exhibere, vt frustrà sit paratus mori. Sic & omnis anima credens in resurrectionem, meritò sibi parcit: non credẽs autem resurrectioni, exposita fit perditioni. Credens manere corpus in resurrectionem, parcit illi tãquàm vesti, & non polluit eam in iniquitatibus: qui verò non credit resurrectionẽ, exponit se se libidini, ac veluti alieno abutitur corpore suo. Magna igitur est Ecclesiæ catholicæ admonitio, fides de resurrectione, & doctrina valde necessaria. Cui quidem multi contradicunt, à veritate verò factum est, vt illi fides habeatur. Contradicunt Græci, non credunt Samaritæ, detrahunt hæretici.

*animam erigit in spem.

retici. Multiplex enim est contradictio, sed simplex veritas. Et dicunt ad nos tam Græci, quàm Samaritæ: Occidit homo, mortuus, & computruit, & totus in vermes resolutus est, atque ij vermes quoque interierunt. Putrefactio tanta & corruptio corpus excepit, quomodo igitur resurget? Nauigatores à piscibus deuorati sunt, & ipsi quoque comesti sunt: eos qui cum bestijs pugnarunt, vrsi & leones, vnà cum ossibus comminuerũt. Vultures & corui mortuorum humi proiectorum corpora comederunt, & in vniuersum mundum dispersi sunt. Vnde congregabitur corpus? Nam auium quæ illud comederunt, aliam quidem in India mori contingit, aliam in Persíde, aliam in Gothia igne comburi, & ipsius cinerem ventus dispersit. Vnde id corpus congregabitur? Tibi sanè homuntioni exiguo & imbecilli procul à Gothia, India, & Hispania à Persíde videtur. Deo autem qui terram pugillo continet, omnia sunt propè. Non igitur pro tua imbecillitate, deum arguas impotentiæ, sed potiùs illius potentiæ assentiare. Si enim Sol exiguum opus Dei, vno radiorum iactu, vniuersum orbem calefacit. Et aër quem Deus fecit, circumdat mũdum, Deus autẽ & Solis & aëris opifex, num distat à mundo? Cogita diuersa semina germinum misceri (Infirmo enim tibi in fide, infirma propono exempla) & hæc diuersa semina tuo pugillo contineri. Est ne tibi homini res magna, an facilis, pugillum tuum aperire, & vnumquodque germen, secundum ipsius naturam colligere, & ad germen restaurare? Et tu quidem id in tuo pugillo poteris, num & Deus, quæ illius pugillo continentur, discernere, congregare, & restaurare non poterit? Cõsidera quod dicitur, & si non est absurda redargutio, vel contradictio hac in re vide: & ad rectam reuersus rationẽ, ad te ipsum redi. Diuersos habes seruos, ac alij quidem sunt probi, alij mali, honoras probos, & malos verberas. Et si iudex es, bonos laudas, punis iniquos. Si apud te hominem mortalem, est talis iustitia, apud Deúmne, regem omnium sempiternum, iustitiæ non erit retributio? Sed impium est id negare. Perspice autem & istud: Multi homicidę in lecto impunè defuncti sunt: vbi igitur Dei iustitia? Sępè autem qui homicidia quinquaginta patrauit, semel tãtùm capite plectitur, vbi igitur illorum quadraginta nouem pœnas dabit? nisi post hãc vitam fuerit iuditiũ & retributio: iniustitiámne Dei arguis? Verùm nihil mireris dilationem damnationis: Omnis qui certat, posteaquàm absoluit certamẽ, coronatur, aut cõtumelia afficitur. Neq; priùs agonethetes decertãtes coronat, quã omniũ certaminum finis aduenerit, vt postremò dijudicans, præmia victoriæ, &

Falsum multiplex, verũ simplex.

Iustitia Dei.

coronas proferat. Sic & Deus durante adhuc in hoc mundo certamine, hactenus quidem iustis ex parte auxiliatur, deinceps autem vnicuique perfectum præmium reddet.

Si non est resurrectio mortuorum secũdum te, cur mortuorum spoliatores condemnas? si enim perijt corpus, & desperata resurrectio, cur prædo mortui mulctatur. Vides, quod etiamsi neges labijs, infracta tamen apud te manet resurrectionis conscientia. Tum verò arbor quidem excisa rursus floret, homo autem excisus non florebit? Et seminata demessaque in areis manent, homo autem ex hoc mundo demessus, non manet in æternum? Et vitium surculi, aliarumque arborum omninò excisi, & transplantati, reuiuiscunt & fructificant: homo verò propter quem & illa sunt, cadens in terram, non excitabitur? Vt in discrimine opificiorum vtrum est maius, statuam quæ nulla erat, ab initio formare, an eam quę ceciderit, in eandem rursus formam conflare? Qui ex nihilo nos fecit Deus, nunquid iam existentes & cadẽtes, rursus excitare non poterit? Si non credis his quæ de resurrectione scripta sunt, gentilis existens ex rerum natura id perspice, & ex his quæ ad hodiernam vsque diem apparent, intellige. Semi natur frumentum, vel fortè aliud genus seminis, cadens moritur, & quasi putrescit, fitque omninò ineptum ad cibum: sed mox illud putridum fit herbidum, & exile cadens surgit pulchrum. Frumentum autem fit propter nos, & propter vsum nostrum factum est: neque enim frumenta & semina sunt propter seipsa. Si ergo ista quæ propter nos nascuntur, mortua reuiuiscunt, nos verò, quorum causa & illa nata sunt mortui, annon excitabimur? Brumale nunc tempus vt vides, arbores nunc tanquàm mortuæ. Vbi enim folia ficus? Vbi botri vitis? Sed hęc quidem hyeme mortua, vere autem virentia apparent: Et cùm tempus aduenerit, tunc veluti à mortificatione redditur viuificatio. Videns enim Deus tuam incredulitatem in his quę videntur, singulis annis resurrectionem efficit: vt ea videns in rebus inanimatis, etiam de animatis rationalibus credas. Si muscæ quidem & apes, aqua suffocatæ sæpè post tempus anni resurgunt: & serpentum genera hyeme immobilia sunt, æstate verò deinceps consurgunt: Facilè sanè quilibet intelligens his similia dederit exempla: Qui autem irrationalibus, & vilibus vitam præbet super naturã: nónne idem nobis, propter quos & illa fecit, viuificationem donabit? Sed cùm inquirunt Græci resurrectionem mortuorum, manifestius id esse volunt, atque dicunt: quamuis ista quidem excitantur, sed non omninò putrefiunt, voluntque apertè videre

Resurrectionis conscientia.

Resurrectio probatur ex natura.

animal

animal putrefactum & resurgens. Vidit Deus hanc hominum incredulitatẽ,& auem quandam in hoc fabricatus est,quæ Phœnix appellatur.Hæc vt scribit Clemens, & alij complures, idem referunt,cùm sit vna tãtùm auis,& sola,in terram Aegypti in spatio quingentorum annorum venire solet, atque demonstrare resurrectionem:non in locis desertis, ne mysterium id ignoretur,sed in aperta ciuitate consistit, vt contrectetur quod non creditur.Septum enim sibi facit è thure & myrrha,cęterisq; aromatibus,&completis annis eò deuenit.Moritur apertè & putrescit: deinde ex putrefacta carne mortuæ, vermis quidam generatur, & hic deinceps in auem efformatur. Non diffidas huic: nam & apium genera sic etiam ex vermibus formari vides, & ex ouis humidissimis pennas & ossa, & venas auium vidisti. Phœnix sanè præfatus excrescens in auem,talis euolat in aërem,qualis & mortuus erat, apertissimè mortuorum resurrectionem hominibus demonstrat.Admiranda quidem auis est Phœnix: sed auis tamen irrationalis, neque vnquam volans per aërem psallebat Deo:neque scit quis sit vnigenitus Dei filius. Ergo animanti quidem irrationali, & non cognoscenti factorem suum,resurrectio donatur: nobis verò glorificantibus Deum, & mandata eius custodientibus eadem non dabitur?

Phœnix typus resurrectionis.

Sed quoniam longè petitum & rarum est Phœnicis exemplum, his qui non credunt: accipe aliam rursus demonstrationem ex his,quæ indies tibi sunt prę oculis: Ante centum vel ducentos annos,nos omnes qui loquimur & audimus,vbi eramus? Ac nescimus constitutionis nostræ subsistentiam ? Nescis quomodo ex infirmis,rudibus, & confusis rebus generamur? & ex tam rudi infirmaque materia formatur homo: & quod erat imbecillum,incarnatum, in robur neruorum mutatur, & oculorum splendorem, & narium odoratum, & aurium auditum,& linguam loquentem,& cor saliens,& manus operantes,& pedes currentes, & in omnimodam membrorum speciem. Ac illud imbecillum fit nauium fabricator, & domorum opifex, architectus & omnium artium operarius: Miles, Princeps ,legislator & Rex. Qui ex leuibus rebus ita nos facit Deus, num cadentes excitare non poterit?Et qui non existens fecit vt esset, nunquid cadens non subleuabit? Accipe autem & ex cœlo apertam resurrectionis mortuorum demonstrationem, quæ in luminaribus mensibus singulis declaratur: Lunæ enim corpus, prorsus deficiens, ita vt nullum amplius appareat, rursus impletur , & ita vt erat in integrum restituitur. Si quidem pro huius rei perfecta

Resurrectio ex ipsa hominis generatione probatur.

fecta demonstratione, circuitu annorum, deficiens luna, & tota apertè sanguine quasi tincta, denuò lucidum corpus recipit. Quod sanè Deus gubernat, vt & tu homo ex sanguine constans, de resurrectione mortuorum non dubites, & quod circa Lunam in cœlo vides, hoc etiam de teipso credas. His itaque vtere verbis ad Græcos: nam qui scripturas non recipiunt, non scriptis eos armis oppugna, atque solis ratiocinationibus & demonstrationibus. Istis enim neque quis sit Moyses notum est, neque quis Esaias. Neque Euangelia, neque Paulum agnoscunt.

Gentes ratiocinibus & non scripturis cõfutandæ.

Transeamus verò ad Samaritas, qui solam legem recipiunt, Prophetas nequaquam: quibus vanum videtur esse, quod modo ex Ezechiele lectum est. Prophetas enim, vt dixi, non recipiunt. Quomodo igitur & Samaritis persuadebimus. Veniamus ad scripta legis. Dicit igitur Deus ad Moysen: Ego Deus Abraham, Isaac & Iacob: certum quod existentium, & subsistentium. Si enim Abraham mortuus est, vel non existit, & Isaac & Iacob. Nunquid Deus est non existentium? Num aliquando dixit Rex, se regem esse militum, quos non habet? Quando aliquis ostentat diuitias, quas non possidet? Necesse est itaque subsistere, & Abraham & Iacob vt Deus sit existentium Deus: Neq; enim dixit, ipsorum eram Deus, sed sum. Quòd autem sit iudicium, dicit Abraham ad dominum: Qui iudicas omnem terram, nequaquam facias iudicium hoc. Ad hæc contrà insensati Samaritæ dicunt: Quòd fieri quidem potest, vt animæ Abraham, Isaac & Iacob maneant, corpora autem resurgere non poterunt. Ita ne virgam quidem Moysis iusti in draconem conuerti possibile est: corpora autem iustorum viuere & resurgere erit impossibile? Atque illud quidem præter naturam factum est: hoc autem secundum naturam non restaurabitur? Et virga Aaron excisa & mortua, absque humore aquæ refloruit: atque hæc sub tecto existens, quæ in agris quondam florebat, nunc autem in aridis posita, fecit per vnam noctem ea, quæ per multos annos irrigata vix fecerit cum fructibus. Virga Aaron tanquàm ex mortuis surrexit, & ipse Aaron non resurget? Cuius sanctitatem vt Deus declararet, in ligno miraculum fecit: ipsi autem Aaroni resurrectionem non largietur? Mulier illa præter naturam in sal conuersa est, & caro in carnem non instaurabitur? Vxor Loth facta est statua salis: vxor autem Abraham non resurget? Qua autem virtute mutata est manus Moysi, vt vna hora fieret tanquàm nix, & rursus restituta, certum est quod mandato diuino. Quid ergo? tunc quidem mandatum erat efficax, nunc autem

Samaritæ lege confutantur.

non

non erit efficax? Vnde autem ab initio totus homo factus est, ô insensati Samaritæ? Venite ad primum sacræ scripturæ librum, quem & vos recipitis. Et creauit Deus hominem puluerem de terra. Puluis in corpus mutatur, & caro in carnem rursus non conuertetur? Quærendum esset à vobis, vnde constituti sunt cœli & terra, & mare, vnde sol & luna & astra. Quomodo ex aquis volatilia & natantia: Et quomodo de terra omnia animantia? Tot myriades ex non existentibus, ad esse deductæ sunt, & nos homines, qui facti sumus ad illius imaginem, nunquid non resurgemus? Reuerà plena est res ista incredulitate, & multa reprehensione infidelium. Quando Abraham dicit ad Deum: Qui iudicas omnem terram, & non credunt discentes legem. Quando scriptum est, quod ex terra homo, & non credunt id legentes. Illis igitur hæc tanquàm infidelibus, ex Prophetis autem alia nobis credentibus. *Resurrectio ex lege probatur.*

Cùm autem & his vtentes aliqui diffidunt ijs, quæ scripta sunt, ac proferunt nobis illud: Non resurgent impij in iudicio. Et illud: Cùm descendit homo in infernum, non licet ascendere. Et, Non mortui laudabunt te Domine. His quæ benè scripta sunt, malè vtuntur. Bonum ergo est, obiter, quantum tempus patitur, nunc ista attingere, & illis respondere. Si enim dicit: Impij non resurgunt in iudicio, hoc significat, quòd non in iudicio. Neque magna Deo opus est inquisitione: simul vt resurrexerint impij, consequentur eos pœnæ. Et si dicit: Non mortui laudabunt te Domine, hoc indicat: quòd pœnitentiæ & remissionis peccatorum in hac vita tantùm præscriptum tempus habemus. Dicit verò & qui eo fruuntur, illum laudabunt. Non licet enim post mortem deinceps eos, qui in peccatis mortui sunt, sicut benefactoribus Deum laudare: sed lamentari. Laus enim est gratias agentium, stridor autem angustias patientium. Iusti igitur tunc Deum laudabunt. In peccatis autem mortui, tempus confessionis non habent. De eo autem: Si descendat homo in infernum, non licet illi ascendere: respice consequentiam: Scriptum enim est, non licet: & non, non ascendet, neque: & non reuertetur in propriam domum. Cùm enim vniuersus mundus transierit, & omnes domus corrumpentur, quomodo in propriam domum reuerteretur, noua deinceps facta terra? Oportet autem ipsos audire Iob dicentem: Est enim arbori spes: si nanque excidatur, florebit, & vide quod truncus eius non deficit: si enim senuerit in terra *Resurrectionem prophetæ asserunt.* *In peccatis mortui.*

radix eius,in petra verò moriatur truncus eius, ab odore aquæ florebit, & faciet fructum tanquàm nuper insitum. Vir autem mortuus peribit: cadens autem homo non amplius est? Modò non cõfundit, & increpat. Sic enim legendum per interrogationem illud,non amplius est? Quid enim,si lignum cadens,inquit, excitatur, homo propter quem lignum factum est,non resurget? Et ne putes me id torquere, lege quod sequitur. Post hanc enim interrogationem: Cadens homo non amplius est? dicit: Si mortuus fuerit homo,viuet. Et statim dicit: Expecto donec rursus fiam,& iterum alibi: Cutis,inquit,mea resurget,quæ ista patitur. Esaias autem Propheta dicit: Resurgent mortui,& excitabuntur qui in monumentis sunt. Apertissimè autem Propheta Ezechiel dicit: Ecce ego aperio sepulchra vestra, & leuabo vos de monumentis vestris. Et Daniel dicit: Multi dormientium in puluere terræ resurgent, alij in vitam æternam, alij verò contumeliam æternam. Et scripturæ multæ testantur de resurrectione mortuorum: suntque alia permulta verba de illa.

Reliqua autem cursim prætereamus, vt Lazari quatriduani resurrectionem propter temporis breuitatem, vt filium viduæ excitatum. Et filiæ Archisynagogi tantùm mentio sit. Et quomodo sciſſæ sunt petræ, multaque corpora requiescentium sanctorum apertis monumentis surrexerunt. Præcipuè autem recordemur: quòd Christus à mortuis surrexit. Prætereo Eliam, & filium viduæ ab illo excitatum. Et Elizeum,bis excitantem,& in vita & post mortem. Viuens quidem effecit resurrectionem per animam suam: Vt autem non solùm anima sanctorum honoretur, credaturque quòd etiam in corporibus mortuorum inest virtus, seu potentia: Iacens in sepulchro Elizei mortuus, mortuumque corpus Prophetæ attingens, viuificatus est, atque ita mortuum corpus Prophetæ, perficit opus animæ, & mortuum iacensque vitam præbuit defuncto: exhibensque alteri vitam, ipsum nihilominus mortuum permansit. Qua de causa? Ne si resurrexisset Elizeus, factum id soli animæ adscribatur: & vt demonstretur, quòd absente etiam anima, inest virtus quædam eiusmodi corporibus sanctorum, propter tot annorum inhabitatas in illis animas iustas, quorum ministerio vsæ sunt. Neque verò diffidamus,vt rerum ignari, fieri istud. Si enim sudaria & semicinctia, extra corpus existentia, contacta ab ægrotis, liberabant illos ab infirmitate: quantò magis corpus ipsum

Reliquiæ sanctorum honorandæ.

Corporibus sanctorum virtus mirabilis inest.

Pro-

Prophetæ mortuum excitauit? Sunt quidem alia multa, quæ dicamus in hanc ſantentiam, ſi ſingula eiuſcemodi, præter opinionem facta, perſequenda eſſent. Propter labores autem ſuperiores, & dilationem ieiunij paraſceues, & vigiliæ, iſta quidem ſic obiter dicta ſunto, ſparſim diſſeminata, vt vos quæ optima ſint ſemina accipientes, copioſiorem fructum feratis.

Veruntamen & illius mentionem faciamus, quòd Apoſtoli mortuos excitabant. Petrus quidem Ioppæ Iabitham, Paulus verò Troade Eutychum, & reliqui omnes Apoſtoli: quamuis non omnia ſcripta ſunt, quæ vnuſquiſque admiranda fecit. Memineritis quoque eorum, quæ Paulus Corinthijs ſcripſit, ad eos qui dicebant: Quomodo reſurgent mortui, quali autem corpore venient? Et quòd ſi mortui non reſurgent, neque Chriſtus ſurrexit. Et quòd inſipientes vocauit, non credentes, & reliquæ omnis doctrinæ illius de reſurrectione mortuorum recordemini: Et quòd ad Theſſalonicenſes ſcripſit: Nolumus autem vos ignorare fratres, de dormientibus, ne contriſtemini, ſicut & cæteri, qui non habent ſpem, & cætera. Maximè verò, quòd & mortui reſurgent primi. Præcipuè autem hoc notate, quod modò non digito indicans Paulus dicit: Oportet enim corruptibile hoc induere corruptionem, & mortale hoc, induere immortalitatem: Corpus enim hoc excitabitur non ita infirmum, ſed ipſum quidem reſurget, indutum tamen incorruptione transformabitur. Sicut ferrum in igne verſatum, fit ignis. Magis autem ſicut nouit ille reſurgens dominus. Reſurget itaque hoc corpus, ſed non tale manebit, verùm erit æternum. Non amplius eiuſmodi cibis ad vitam opus habebit, neque ſcalis ad aſcenſum: fiet enim ſpiritale. Admirandum quid, & quale pro dignitate declarare nequimus. Iuſti ſplendebunt vt ſol, & tanquàm luna, & ſicut ſplendor firmamenti. Et præuidens iſtam hominum incredulitatem Deus, vermibus paruulis æſtate lucidum dedit corpus, vt eo ſplenderent. Vt ex apparẽtibus crederetur id, quod expectamus. Qui enim partẽ poteſt præſtare, poterit & totum. Et qui fecit, vermis vt lumine ſplenderet, multò magis illuſtrabit hominem iuſtum. Excitabimur ergo æterna habentes corpora, omnes autem ſimilia: ſed qui eſt iuſtus, corpus accipiet cœleſte, vt poſsit cum angelis dignè conuerſari. Si verò peccator eſt, accipiet corpus æternum, quo ſufferre poſsit pœnas peccatorum, vt perpetuo in igne ardeat, & nunquàm diſſoluatur. Et iuſtè vtriſ-

Corpus reſurgens quale.

Corpora futura ſplendida.

Corpora æterna malorum.

que his ordinibus Deus hoc præbebit: nihil enim sine corpore à nobis gestum est. Blasphemamus per os, oramus per os, expiamus per os: Luxuriamur corpore, casti sumus per corpus: rapimus per manum, eleemosynas damus per manum. Et reliqua similiter. Cùm igitur in omnibus cooperatur corpus, etiam in futuris fructum eius percipiet. Parcamus itaque fratres corporibus, & ne tanquam alienis illis vtamur. Ne dicamus vt hæretici, quòd corpus sit tanquàm aliena vestis, sed tanquàm proprijs parcamus. Oportet enim nos reddere Deo rationem de omnibus in corpore factis. Non dicas, nemo me vidit. Neque putes, quòd testis factorum non sit, homo quidem quandoque non est: sed non errans testis est in cœlo, & videt omnia quæ fiunt, & maculæ peccatorum manebunt in corpore. Vt enim plaga accepta in corpore, etiamsi curata sit, cicatrix tamen manet: sic & peccatum vulnerat corpus, & animam, & manent signa cicatricum in omnibus. Tollũtur autẽ tantùm ab ijs, qui lauacrum baptismi accipiunt. Itaque ea, quæ baptismum antecesserunt, animæ & corporis vulnera curat Deus per baptismum. Ad reliqua autem futura sic nos deinceps communiamus omnes, vt mundam corporis hanc vestem custodiamus. Et ne per exiguam fornicationem, vel lasciuiam, aut aliquod eiusmodi peccati opus, perdamus cœlestem salutem: sed vt hæreditemus regnum Dei æternum. Quo nos omnes sua gratia dignos efficiat Dominus. Atque hæ quidem de resurrectione mortuorum demonstrationes sufficiant.

Maculæ peccatorum in corpore.

Porrò amplius fidei nostræ confessio iterum atque iterum vobis cum diligentia omni à nobis recitata, per vos ipsos profiteri & enuntiari formiter debet: tum & illud memineritis, quòd iam proposita fides, seu fidei confessio hoc in se continet: Et in vnum baptismum pœnitentiæ: In remissionem peccatorum: Et in vnam sanctam Catholicam Ecclesiam, & in carnis resurrectionem, & in vitam æternam. De baptismo igitur pœnitentiæ, in prioribus vobis iam dictum est Catechesibus, & de resurrectione quoque mortuorum vobis dictum est, propter illud: Et in carnis resurrectionem.

In baptismũ in Ecclesia credere.

Dicantur autem reliqua tandem propter illud, Et in vnam sanctam Catholicam Ecclesiam. De qua multa dici potuissent: sed paucis eà comprehendemus. Catholica igitur vocatur, quia per vniuersum sit orbem terrarum diffusa, à finibus terræ vsque ad extrema. Et quia docet Catholicè, hoc est vni-

Catholica Ecclesia cur dicta.

est vniuersaliter, & sine vllo defectu vel differentia omnia dogmata, quæ deberent venire in cognitionem, de rebus visibilibus & inuisibilibus, cœlestibus & terrestribus. Et quòd omne genus hominum piè subiugat, Principes & priuatos. Et quia in vniuersum curat omne genus peccatorum, & quæ per animam & quæ per corpus patrantur. Habeturque in illa omne genus (quocunque nomine vocetur) virtutis, in factis & dictis, & spiritualibus charismatibus omnigenis. Aptè autem Ecclesia vocatur, quasi dicas conuocatio: propter omnium conuocationem & congregationem: Sicut in Leuitico dicit Dominus: Et omnem congregationem conuoca, ante ostium tabernaculi testimonij. Nota hic in scripturis, quod sit Ecclesiæ seu conuocationis nomen. Deinde & Aaronem in sanctuario Dominus constituit. Et in Deuteronomio Moyses: Tunc, inquit, Dominus dixit ad me: Conuoca populum, & audiantur verba mea, vt discant timere me. Rursus nominis Ecclesiæ meminit, cùm inquit de tabulis: & in ipsis scripsit omnes sermones, quos locutus est dominus ad nos in monte de medio ignis in die Ecclesiæ. Quasi diceret apertiùs, in die vocatorum à domino, congregati estis. Et Psaltes dicit: Confiteor tibi in Ecclesia magna, in populo graui laudabo te. Anteà igitur cecinit Psalmus in Ecclesijs: Benedicite Dominum Deum de fontibus Israël: posteaquàm autē propter factas Saluatori insidias, Iudæi gratia exciderunt, alteram ordinauit saluator nostram sanctam Ecclesiam Christianam. De qua dixit Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferni non præualebunt ei. De his autem vtrisque prophetans Dauid, apertè dicit: De prima quidem excindenda: Odiui Ecclesiam malignantium: De altera verò ædificata in eodem psalmo dicit: Domine dilexi decorem domus tuæ. Et deinde statim: In Ecclesijs benedicam te Domine. Vna enim in Iudæa reiecta, per vniuersum orbem deinde Christi multiplicatæ sunt Ecclesiæ. De quibus in psalmis dicitur: Cantate Domino canticum nouum, laus eius in Ecclesia sanctorum. Quibus consentanea Propheta ad Iudæos dixit: Non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus omnipotens. Et iterum: Propterea ab ortu solis vsque ad occasum nomen meum laudabitur in gentibus. De hac autem secunda Catholica Ecclesia, scribit ad Timotheum Paulus: vt scias quomodo oporteat in domo domini conuersari, quæ est Ecclesia Dei viuentis, columna & firmamentū veritatis:

Ecclesia vna dicatur.

Ecclesia malignantium.

Ecclesia Christi.

Ecclesia Catholica.

Quoniã verò Eccleſiæ nomẽ de diuerſis rebus dicitur, ſicut & de turba, quæ erat in theatro Epheſiorum, ſcriptum eſt. Et hæc dicens, dimiſit Eccleſiam. Propriè quoque & verè aliquis dixerit, Eccleſiam eſſe malignantium, conuenticula hæreticorum. Marcionitarum dico, & Manichæorum, & reliquorum. Propterea nunc confirmans fides tradidit, vt dicas: Et in vnam ſanctam catholicam Eccleſiam. Vt illorum quidem fœda conuenticula fugias: perſeueres autem in Catholica Eccleſia, in qua & renatus es. Quòd ſi fortè veneris in ciuitates, non ſimpliciter interroga vbi ſit Dominicus, ſeu domus domini: nam & reliquæ impiorum hæreſes Dominicos, quamuis pollutos, appellare non dubitant. Neque id tantùm quæras ſimpliciter, vbi ſit Eccleſia: ſed vbi catholica Eccleſia. Hoc enim proprium nomen eſt ſanctæ huius & matris omnium noſtrûm, quæ eſt ſponſa Domini noſtri IESV Chriſti vnigeniti filij Dei. Scriptum eſt enim: Sicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro illa, & cætera. Typum autem habet, & imitationem ſupernæ Hieruſalem, quæ libera eſt, & mater omnium noſtrûm. Quæ anteà quidem ſterilis, nunc autem multorum eſt liberorum parens. Illa enim priore extincta, in hac altera Eccleſia Catholica, vt Paulus dicit, Deus poſuit, primùm quidem Apoſtolos, deinde Prophetas, tertiò doctores, poſteà virtutes, tum gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, & omne genus totius virtutis. Sapientiam dico & intellectum, temperantiam & humanitatem, & in perſecutionibus patientiam irreprehenſibilem: Quæ per arma iuſtitiæ proſpera & aduerſa, per gloriam & ignominiam: primùm quidem in perſecutionibus & tribulationibus Martyres & ſanctos diuerſis coronis patientiæ, & multùm florentibus coronauit, quibus & ipſa Eccleſia ornata eſt. Nunc verò temporibus pacis gratia Chriſti, debitum habet honorem, à Regibus & Illuſtribus, & omni genere hominum. Regum quidem poteſtas certis locis, & gentibus, terminos habet: Eccleſiæ autem catholicæ, per vniuerſum orbem indefinita eſt potentia. De qua ſi omnia dicere vellemus, pluribus ſanè nobis opus fuiſſet horis ad enarrationem. In eadem ſancta catholica Eccleſia, edocti & conuerſantes benè, regnum cœlorum, & vitam æternam poſſidebimus, propter quam omnes laboramus, vt eam à Domino conſequamur. Non enim de rebus exiguis noſtrum eſt propoſitum, ſed de vita æterna contendimus, propterea in confeſsione

Domus domini.

Eccleſiæ proprium nomẽ Catholica.

Eccleſiæ ordines.

Eccleſiam Reges honorãt.

Eccleſiæ catholicæ indefinita per orbem totum poteſtas.

feſsione fidei docemur,Et in carnis reſurrectionem,hoc eſt,mortuorum, de qua vt credendum ſit, diſſeruimus. Et, In vitam æternam. De qua Chriſtianis nobis eſt certamen. Vita igitur exiſtens & vera omnium pater eſt, & filius, cum ſpiritu ſancto: à quo tanquàm à fonte fluunt cœleſtia dona,propter illius benignitatem,qui nobis hominibus, ea quæ pertinent ad vitam ęternam,veriſimè annuntiauit.Neq; diffidendum eſt,quaſi impoſsibile id eſſet: non enim ad noſtram imbecillitatem, ſed ad illius potentiam reſpectum habendo oportet credere. Omnia autem poſsibilia ſunt Deo: cùm autem & hoc ſit poſsibile, vitam æternam expectamus. Dicit enim Daniel: Et qui ad inſtantiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Dicit & Paulus: Et ita ſemper cum domino erimus, vitam ęternam ſignificans.Manifeſtiſsimè autem Saluator in Euangelijs dicit:Et abibunt iſti in pœnam æternam,iuſti autem in vitam æternam.

Multæ ſunt nobis de vita æterna demonſtrationes. Cupientibus autem nobis poſsidere ipſam æternam vitam, ſacræ ſcripturæ modos poſsidendi proponunt,ex quibus nunc ne ſermo nimium producatur, pauca teſtimonia adducemus, reliqua verò ſtudioſis perquirenda relinquemus. Aliquando enim dicunt, per fidem. Vt ſcriptum eſt: Credens in filium habet vitam æternam, & cætera. Et iterum ipſe dicit: Amen amen dico vobis, quòd qui verba mea audit, & credit illi, qui miſit me, habet vitam æternam, & cætera. Aliquando autem per martyrium, & Chriſti confeſsionem, & per Euangelicam prædicationem. Dicit enim: Et metens fructum accipiet, congregabit fructum in vitam æternam. Et: Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit illam. Tum verò qui propter Chriſtum opes & propinquos relinquit: Et omnis qui reliquit fratres, & ſorores, & cætera, vitam æternam poſsidebit. Et propter mandatorum obſeruationem, ſicut reſpondit accedenti & dicenti: Magiſter bone, quid boni faciendo habebo vitam æternam. Eſt & hic modus: vt improbis relictis operibus, Deo deinceps ſeruiamus. Dicit enim Paulus: Nunc autem liberati à peccato, ſeruientes autem Deo, habebitis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem autem, vitam æternam. Et multimoda ſanè quædam relicta eſt ratio conſequendæ vitæ æternæ, propter illius paſsionem.Benignus enim cùm ſit Dominus, non vnum,

Modi quærendæ vitæ æternæ varij.

Per fidem.

Per Martyrium &c.

Per opera vitæ

neque

Ianuæ vitæ æternæ multæ.

neque alterum tantùm, sed multas æternæ vitæ ianuas aperuit, vt omnes quantum in ipso est, absque impedimento illa potiri possent. Atque hæc dicta sint de vita æterna. Quod sanè est eorum, quæ profitentur in fide, vltimum documentum. Quà vtinam omnes nos & docentes, & audientes per Dei gratiam potiamur.

Cæterùm fratres dilecti, hortatur nos omnes huius doctrinæ sermo, præparare animam, ad receptionem gratiarum cœlestium. De tradita nanque vobis ad profitendum sancta & apostolica fide, quantum catechesis capere potuit, per Dei gratiam diximus, præteritis hisce quadragesimæ diebus. Non quòd ea tantùm dicere expediret: multa enim prætermissa sunt, & melius fortè à bonis doctoribus intellecta. Instante autem deinceps sancto die Paschatis, & vestra per lauacrum regeneratione, docebimus rursus Deo volente ea, quæ conueniunt. Quanta cum reuerentia & ordine eò ingredi oporteat vocatos: cuiusque causa perficitur vnumquodque sanctorum baptismi mysteriorum, & quanta cum deuotione à baptismate, ad sanctum Dei accedendum est altare, atque his quæ istic sunt spiritualibus & cœlestibus perfruendum mysterijs: vt anima nostra per doctrinam, & sermonem illuminata, ab vnoquoque cognoscatur à Deo vobis donatorum charismatum magnitudo. Post sanctum autem, & salutarem Paschatis diem, in reliquis hebdomadæ diebus, post synaxim, ad sanctum resurrectionis saluatoris locum congregati, deo volente alias catecheses audietis, in quibus rursus de vnoquoque eorum quæ fiunt, causas discetis, atque tam ex nouo, quàm ex veteri testamento demonstrationes accipietis. Primum quidem de his, quæ ante baptismum proximè fiunt. Deinde quomodo mundati estis à peccatis per Dominum lauacro aquæ, in verbo, & quomodo sacerdotalis appellationis Christi participes facti estis, & quomodo signaculum vobis datum est spiritus sancti, & de ijs quæ fiunt in altari sanctis noui testamenti mysterijs. Quæ hinc capient initium. Quod diuinæ scripturæ tradiderunt. Quæ istorum virtus. Et quomodo ad hæc accedendum, & quando, & quomodo ea habere oporteat. Vltimum autem omnium, quomodo vos progressu temporis & factis & dictis dignè ad percipiendam gratiam conuerti oporteat: vt posſitis omnes vos vita perfrui sempiterna. Atque hæc quidem, si Deus volet, demonstrabuntur. Quod reliquum est fratres, gaudete in Domino,

Propositio Catecheseon Mystagogicarum.

mino, & iterum dico, gaudete. Venit enim redemptio vestra, & vestram expectat salutem angelorum cœlestis exercitus. Et vox iam intonat clamantis in deserto: Parate viam Domini. Clamat autem & Propheta: Sitientes accedant ad aquam bonam. Et mox: Audite me, & comedetis bona: in delicijs & bonis anima mea. Et non ita multò pòst optimam illam lectionem audietis: Illuminare, illuminare Hierusalem: venit enim lumen. De Hierusalem Propheta dixit: Et post hæc vocabitur ciuitas iustitiæ, Metropolis fidelis Sion, propter legem quæ ex Sion exiuit: & verbum Domini ex Hierusalem, quod hinc in vniuersum orbem intonuit. Ad eam quoque Propheta dicit: Leua in circuitu oculos tuos: & vide congregatos filios tuos. Quæ respondit dicens: Qui sunt hi tanquàm nubes volantes: & sicut columbæ cum pullis super me. Nubes propter spirituale. Columbæ, propter simplicitatem. Et iterum: Quis audiuit talia, & quis vidit sic: si parturiuit terra vna die, & nata est gens statim, quod peperit Sion pueros suos. Gaudio autem ineffabili omnia replebuntur, propter Dominum qui dicit: Ecce ego faciam Hierusalem exultationem, & populum meum pacem. Liceat autem & de vobis nunc dicere. Lætentur cœli & exultet terra, & reliqua, quòd misertus est Deus populi sui, & humiles populi consolatus est. Hæc autem licebit propter Domini benignitatem ad nos dicentis: Ecce ego delebo tanquàm nubem iniquitates tuas, & sicut caliginem peccata tua. Vos autem nomine fidelium donati, de quibus scriptum est: Seruientibus mihi, vocabitur nomen nouum, & benedicetur in terra. Dicite cum lætitia: Benedictus Deus, & pater Domini nostri IESV Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo, in quo habemus redemptionem, per sanguinem ipsius, in remissionem peccatorum, propter diuitias bonitatis eius, quæ superabundauit in nos, & reliqua. Ac iterum: Deus autem qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, & cætera. Et iterum: sicut boni Dominum laudate dicentes. Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis, & renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos abundanter, per IESVM Christum saluatorem nostrum, vt iustificati

illius gratia, hæredes efficiamur ſecundum ſpem vitæ æternæ. Ipſe autem Deus, & pater Domini noſtri IESV Chriſti, pater gloriæ det vobis ſpiritum ſapientiæ, & reuelationis, in agnitionem eius, illuminatis oculis mentis, & cuſtodiat ſemper nos in operibus, & ſermonibus, & cogitationibus bonis. Cui gloria, honor & potentia per Chriſtum Dominum noſtrum, cum ſpiritu ſancto, & nunc, & in infinita ſecula ſeculo rum, AMEN.

CYRIL-

CYRILLI ARCHI-

EPISCOPI HIEROSOLYMITANI, CATECHESIS MYSTAGOGICA PRIMA, AD EOS QVI RECENS SVNT BAPTIZATI: ET LECTIO EX PRIMA PETRI Catholica Epistola, ab eo quod legitur: Sobrij estote & vigilate: vsque ad finem eiusdem Epistolæ.

IOANNE GRODECIO D. G. C. W. INTERPRETE.

DESIDERABAM vobis & anteà, ô germani & dilecti Ecclesię filij, de his spiritualibus & supercœlestibus mysterijs disserere: sed cùm planè crediderim, visum longè esse auditu certiorem, tempus hoc præsens expectaui, vt & vos ipsi melius percipere possetis, experientia iam edocti, de his quæ dicenda sunt: & ego vt faciliùs vos ad splendidiorem, & fragrantiorem huius paradisi campum manuducerem: quandoquidem participes iam facti estis diuinorum mysteriorum, diuinoque ac viuificante lauacro digni habiti. Cùm itaque reliquum sit, vt perfectioris doctrinæ mensam apponamus, agè hæc ipsa nobis accuratiùs trademus: vt vim eorum non ignoretis, quæ circa vos illo vespere fiunt. Primùm ingressi estis in porticum domus baptisterij, & stantes versus occidentem, mandari vobis audistis, vt protensa manu, tãquàm presenti satanæ renuntiaretis. Scire autem conuenit, figuram eiusmodi in veteri historia positam esse. Cùm Pharao acerbissimus & crudelissimus tyrannus, liberum & generosum Hebræorum populum opprimeret: misit Deus Moysen, vt illum è grauissima Aegyptiorum seruitute liberaret: ac sanguine quidem agni postes vngebantur, vt domos hoc signum sanguinis habentes, vastator angelus vitaret: populus verò præter opinionem liberatus est. Posteaquàm verò hostis ille, & liberatos, & mare diuisum præter opinionem vidit: pergebatque insequens, & vestiga vestigijs vrgens, continuò submersus, rubrique maris fluctibus oppressus est. Transeamus deinceps à veteribus ad noua, à figura ad veritatem. Illic Moyses in Aegyptum à Deo: hîc Christus à Patre missus in mundum venit. Illic vt ex Aegypto populum educeret oppressum: hîc Christus, vt eos, qui in hoc mundo sunt à peccato profligati, liberaret. Illic sanguis agni fuerat vastatoris

toris auersio: hic agni non contaminati IESV Christi sanguis, aduersus dæmones statuitur præsidium. Tyrannus ille ad mare vsque veteres persequebatur: Iste verò impudens improbitatis princeps dæmon, ad ipsas vsque salutares vndas te sequebatur. Ille in mari submersus est, iste in aqua salutis suffocatur. Verunta men audis, quòd nutu manus, tanquàm ad præsentem dicitur: Renuntio tibi Sathana. Qua de causa verò versus occasum steteritis, operæpretium esse puto explicare. Cùm solis occasus apparentium tenebrarum sit locus: diabolus autem cùm sit tenebræ, robur in illis suum habet. Idcirco symbolicè occasum spectantes, caliginoso illi tenebrarum principi renuntiatis. Quid igitur vnusquisq; vestrûm stans dicebat? Renuntio tibi Sathana, tibi, inquam, scelerato & sæuissimo tyranno: non amplius metuo vires tuas: dissoluit enim eas Christus, sanguinis mei, & corporis particeps factus, vt suis passionibus & morte, mortem opprimeret, vt ne perpetuò essem obnoxius seruituti. Renuntio illi serpenti callido & vafro: renuntio tibi impostori, qui sub specie amicitiæ omnem agitas iniquitatem: qui maiores nostros ad defectionẽ induxisti: renuntio tibi Sathana, totius impro bitatis opifici & administro.

Doceris mox & alteram renuntiationis partem addere: Et omnibus tuis operib⁹. Opera Sathanæ sunt cuiusuis generis peccata, quibus te renuntiare necesse est: vt cùm aliquis fugit tyrannum, arma quoque illius vitare studet. Omne igitur genus peccati, sub hoc operum diaboli nomine comprehenditur. Istud præterea non ignores, quòd quæcunque dicis, illa præsertim formidabili hora, scripta sunt in libris Dei absconditis: vt si quid deinceps aduersus illa pronuntiata patraueris, tanquàm præuaricator iudiceris. Renuntia ergo Sathanæ operibus, omnibus, inquam, actionibus & cogitationibus, quæcunq; rectæ rationi non conueniunt.

Posteà dicis: Et omni pompæ illius. Pompa diabobi est, in theatris spectacula, in hyppodromo cursus equorum, & venationes, & reliqua omnis eiuscemodi vanitas: à qua postulans liberari sanctus ille Dei, Auerte, inquit, oculos meos, ne videant vanitatem. Non ergo sis curiosus in frequentia spectaculorum, vbi conspicias mimorum petulantias, omni contumelia & impudicitia refertas, & virorum effœminatorum choreas secteris. Neque verò & illos admireris, qui dummodo ventri suo obsequantur, efferatis bestijs seipsos exponunt: atque ij plerunque cùm adeò ventrem cibis curare studeant, ipsi contrà ventris ferarum esca fiunt.

Imò

Imò vt veriùs dicam, pro ventre, tanquàm pro ſuo Deo, vitam ſuam in certaminibus ſingularibus profundere non dubitant. Fuge autem & equorum curricula, quod eſt prorſus inſanum, & multorum vitæ pernicioſum ſpectaculum. Hæc enim omnia ad pompam diaboli pertinent. Tum verò & illa, quæ in idolorum ſolennitatibus ſuſpendi ſolent, & carnes, & panes, & alia eiuſcemodi fœdiſsimorum dæmonum inuocatione contaminata, pompæ diaboli adſcribuntur. Quemadmodum enim panis & vinum Euchariſtiæ, ante ſacram inuocationem adorandæ Trinitatis, panis erat & vinum merum: peracta verò inuocatione, panis quidem fit corpus Chriſti: vinum autem ſanguis Chriſti: ſic & cibus eiuſcemodi pompæ Sathanæ, ſuapte quidem natura puri ſunt, inuocatione tamen dæmonum impuri efficiuntur.

Dicis præterea: Et omni tuo cultui. Cultus eſt diaboli illæ, quæ in idolys fiunt ſupplicationes, & quæcunque in honorem idolorum peraguntur, vt incendere lucernas, ad fontes & fluuios adolere: & quod nonnulli ſomnijs, & à dæmonibus decepti faciunt, vt corporis etiam affectionum curationem inde ſeſe conſequi poſſe ſperent. Neque ad alia eiuſmodi deuenias: nam & auguria, diuinationes, omina aut amuleta, aut inſcriptiones in folijs, aut aliæ malæ artes, & cætera huiuſmodi, cultus diaboli ſunt. Caue itaque iſta: nam ſi poſt renuntiationem diaboli, & Chriſti militiæ profeſsionem, in eadem rurſus incideris, tyrannum ſenties acerbiorem: qui te olim fortaſsè quaſi familiaris tractabat, & duram ſeruitutem tuam remittebat: nunc verò vehementer eſt à te exacerbatus. Itaque Chriſto, à quo deſciuiſti priuaberis, & illum quem irritaſti, experieris: Nónne audiſti ex vteri hiſtoria de Loth & eius filiabus? Nónne ipſe quidem ſeruatus eſt vnà cum filiabus, cùm ad mortem peruenisſet: vxor verò illius in ſtatuam ſalis mutata eſt, vt eſſet perpetuum monimentum improbæ illius voluntatis & reuerſionis. Caue idcirco tibi, vt ne retrò conuertaris: Et poſtquàm manum miſeris ad aratrum, ne deinceps ad miſeram vitæ huius occupationem & ſtudium reuertaris: ſed fuge in montem Chriſtum, exciſum lapidem ſine manibus, orbem totum replentem. Cùm itaque Sathanæ renuntiaueris, & omne cum illo pactum reſcideris: veteres, inquam, pactiones cum inferno: aperitur tibi paradiſus Dei, quem ipſe ad orientem plantauit: vnde propter mandati violationem, primus parens noſter pulſus eſt in exilium. Et huius rei ſymbolum eſt, cum

ab occasu conuerteris ad ortum, quæ lucis est regio. Tum admonebaris vt diceres: CREDO in Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, & in baptisma pœnitentiæ. De quibus in superioribus catechesibus, quantum diuina concesit gratia, latiùs disseruimus.

His itaque confirmatus verbis aduigila: Aduersarius enim noster diabolus, vt modò lectum est, tanquàm leo rugiens circuit, quærens quem deuoret: Ac superiori quidem tempore, mors prævalens deuorabat: In hoc verò sancto regenerationis lauacro, abstulit Deus omnem lachrymam ab omni facie. Non est enim ampliùs tibi luctus, qui exuisti veterem hominem: sed potiùs celebras lætitiam, indutus vestem salutaris Domini nostri IESV Christi. Et hæc quidem in exteriori domo gesta sunt, in sequentibus verò mysticis institutionibus, Deo volente, in sancta sanctorum ingrediemur, atque tunc eorum, quæ illic peraguntur, symbola cognoscemus.

Deo autem Patri sit gloria & potentia, cum Filio, & Spiritu sancto, in secula seculorum,
Amen.

CATE-

CATECHESIS MYSTAGOGICA SECVNDA,

de baptiſmo: Et lectio ex Epiſtola ad Romanos: Ab eo: An ignoratis, quòd quicunque baptizati ſumus, in Chriſtum IESVM, & in mortem eius baptizati ſumus? Vſque ad illud: Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.

VTiles ſunt nobis, quæ fiunt quotidiè ſacræ inſtructiones & doctrinæ, quæ rerum nouarum nouas adferunt enuntiationes: & vobis præſertim à vetuſtate reſtitutis, nouitatem. Quamobrem facturum me operæpretium exiſtimo, ſi heſternæ Myſtagogiæ ea, quæ deinceps explicanda ſequuntur, appoſuero: vt diſcere poſsitis, quorum illa ſymbola fuerint, quæ à vobis, in interiori domo peragebantur.

Statim igitur vt ingreſsi eſtis, veſtem exuiſtis: quod quidem exuti hominis antiqui cum operibus ſuis imago fuit. Atque ita exuti, eratis nudi: imitantes & in hoc eum, qui in cruce nudatus fuerat, Chriſtum: qua ille nuditate principatus, & poteſtates huius ſeculi ſpoliauit, & magna confidentia in ligno de illis triumphauit: Quia in membris noſtris deliteſcebant aduerſariæ virtutes, non licet nobis veſtem illam veterem ampliùs ferre. Non eam dico, quæ ſenſibus percipitur: ſed veterem hominem, erroneis corruptum deſiderijs: quem non licet animæ rurſus induere, poſtquàm ſemel exuerit: Imò dicendum eſt cum ſponſa Chriſti, vt eſt in canticis canticorum: Exui veſtem meam, quomodo rurſus induam illam? O rem admirandam: nudi fuiſtis in conſpectu omnium, & non vos pudebat. Reuerà enim in hoc protoplaſti Adam ferebatis exemplum, qui nudus in paradiſo fuit, & tamen nullo afficiebatur pudore.

Deinde verò iam exuti, exorcizato oleo à ſummis capillis ad infimos vſque peruncti eſtis, & participes effecti fructiferæ illius oleæ IESV Chriſti. Exciſi enim ex oleaſtro in oleam frugiferam inſerti eſtis, & pinguedinis illius verę oleę, quiſq; veſtrũ particeps effectus. Illud ergo exorcizatum oleum, ſymbolum eſt, pinguedinis Chriſti nobiſcum communicatæ, & quod omne veſtigium diabolicæ operationis in nobis deletum ſit. Nam vt inſufflationes ſanctorum, & nominis Dei inuocatio, tanquàm vehementiſsima quædam flamma vrit dæmones, & in fugam conuertit: ſic & exorcizatum hoc oleum, per orationem, Deiq́ue inuocationem, tantam virtutem conſequitur, vt non modò ardentia peccatorum veſtigia expurget: verùmetiam omnes inuiſibiles dæmones repellat.

Poſteà

Posteà deducebamini ad sanctum diuini baptismi lauacrum: quemadmodum Christus à cruce ad destinatum sepulchrum deducebatur. Atque tunc vnusquisque interrogabatur, an crederet in nomen Patris,& Filij,& Spiritus sancti:& confessi estis salutarem confessionem, & mersi ter in aqua,rursus emersistis: atque ita per hæc symbola triduanam Christi significastis sepulturam. Nam vt Saluator noster tribus diebus, & tribus noctibus fuit in visceribus terræ:sic & vos prima emersione, primam Christi sub terra imitabamini diem,& immersione noctem. Sicut enim qui versatur in nocte, videre non potest, & qui est in die, in lumine est:haud aliter in submersione, tanquàm in nocte nihil videbatis,in emersione contrà tanquàm in die eratis: simul mortui & generati:atque ita illa salutaris aqua,& sepulchrum vobis,& mater effecta est.Et quod Solomon dixerat de alijs, hoc in vos optimè quadrat.Dicebat ille:Tẽpus pariendi,& tẽpus moriẽdi &tempus generãdi:nã id vtrũq; vno eodẽq; fit tẽpore,simulq; mors,& generatio vestra cõcurrit. O nouum & inopinatum mysterium. Nos quidem non reuerà morimur, nõ reuerà sepelimur:nec verè cruci affixi sumus: sed in imagine tantùm nostra est imitatio, in veritate autem salutis assecutio. Christus verè crucifixus est, vereque sepultus,& verè surrexit: & hæc omnia nobis donauit: vt cùm imitatione passionibus eius communicauerimus, reuerà salutem lucremur.O excellentem benignitatem:Christus manus ac pedes suos incontaminatos, clauibus perfodi passus est,& per hosce tantos dolores,mihi nihil eiuscemodi patiẽti salutẽ cõfert.Nemo itaq; existimet,baptisma tantùm remissionis peccatorum:verùmetiam adoptionis filiorum sese accipere: Sicut Ioannis baptismus solam peccatorum condonationem præstabat. Nos verò de Christi baptismo certi simus: quod ita vt est peccatorum ablutio,& donum sancti spiritus conciliat: sic & Christi passionum imaginem gerit. Propterea enim Paulus paulò ante exclamabat:An ignoratis,dicens, quòd quicunque baptizati sumus in Christum IESVM, in mortem eius baptizati sumus? Consepulti ergo sumus & per baptismum in mortem. Hæc dixerat declarans,quòd baptismus remissionem peccatorum, & adoptionem filiorum conciliat,non autem iam veras Christi passiones imitatur ita,vt ibi passio fiat. Vt igitur discamus,quòd quæcunque Christus pro nobis,nostraque salute sustinuit, verè & non apparenter perpessus est, nosque participes earundem passionum efficimur:idcircò accuratè docẽs clamat Paulus.Si enim insiti facti sumus illi similitudine mortis ipsius, certè & resurrectionis

ctionis eius erimus participes. Pulchrè autem vocat insitos, quia enim hic vitis vera plantata est, nos quoque communione baptismi complantati sumus morti eius. Adhibe autem magna cum attentione mentem verbis Apostoli: Non dixit enim, complantati sumus morti, sed similitudini mortis. Vera nanq; mors Christi fuerat, anima eius à corpore separata: & verè sepultus, cùm in syndone munda corpus eius elatum est, & omnia denique verè in ipso contigerunt. In nobis autem, mortis quidem, & passionum quædam est similitudo: salutis verò non similitudo, sed veritas. Hæc sufficienter didicistis, & quæso in memoria habetote: vt & ego indignus de vobis dicam, diligo vos, quia semper mei memores estis, & traditiones quas tradidi vobis, retinetis. Potens autem est Deus exuscitans nos, tanquàm ex mortuis viuos, dare etiam nobis, vt in nouitate vitæ ambulemus: Quoniam illi gloria, & potentia nunc & in perpetuum, Amen.

CATECHESIS MYSTAGOGICA TERTIA,

De Chrismate. Et lectio ex prima Ioannis catholica Epistola: ab eo loco: Et vos vnctionem Dei habetis, & scitis omnia: vsque ad eum: Et non confundemur ab ipso in aduentu eius.

QVicunque in Christum baptizati estis, & Christum induistis, conformes facti estis filio Dei. Deus enim qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum, conformes fecit corpori gloriæ Christi. Participes ergo Christi effecti, meritò Christi, hoc est, vncti vocamini: & Deus dixit de vobis: Nolite tãgere Christos meos. Christi verò estis facti, posteaquàm sancti spiritus imaginem recepistis: & omnia in imagine facta sunt in vobis: quoniam Christi imagines estis. Ac ille quidem cùm in flumine Iordano lauisset, corpus, in quo diuinitas habitabat, aquis tradidit, ascenditque ex illis, & spiritus sanctus substantialiter super eum descendit, requiescẽs super sui similem. Et nobis postquàm similiter ex aquis sacri lauacri ascendimus, datum est Chrisma, quod imaginem gerit illius, quo vnctus est Christus. De quo & beatus Esaias in sua prophetia, ex persona Domini locutus est: Spiritus Domini super me: quapropter vnxit me: euangelizare pauperibus misit me. Oleo enim aut vnguento corporali, Christus ab hominibus vnctus non est: sed pater saluatorem illum mundi totius constituẽs, vnxit eum sancto spiritu. Quemadmodum Petrus inquit: IESVM à Nazareth, quem Deus ipse sancto spiritu vnxit: De quo & Dauid Propheta clamat & dicit: Sedes

Chrisma quid significet.

tua Deus in seculum seculi, virga directionis, virga regni tui: Dilexisti iusticiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ, præ consortibus tuis. Et sicut Christus verè crucifixus, & sepultus est, atque resuscitatus: nos verò per baptismum in similitudine quadam, vnà crucifigi, consepeliri, simulque secum voluit resurgere. Ita fit & in hoc Chrismate. Ille spirituali oleo exultationis vnctus est, hoc est, Spiritu sancto: qui idcirco oleum exultationis vocatur, quia est autor & causa exultationis. Vos verò vncti estis vnguento, facti participes & consortes Christi.

Panis Eucharistiæ post cõsecrationem fit corpus Christi.

Cæterùm vide ne illud esse putes vnguẽtum tantum: Quemadmodũ enim panis Eucharistiæ, post sancti spiritus inuocationem, non amplius est panis communis, sed est corpus Christi: sic & sanctum hoc vnguentum, non amplius est vnguentum nudum, neque (si quis ita appellare malit) commune, postquàm iam consecratum est: sed est Charisma Christi, quod aduentu spiritus sancti per ipsius diuinitatem, energiam habet. Quo frons & alij sensus corporis tui symbolicè inunguntur: & corpus quidem isto visibili vnguento perungitur, anima verò, sancto viuificoque spiritu sanctificatur. Ac primum quidem fronti illinitur, vt eum abstergat à vobis pudorem, quem primus homo transgressor perpetuò circumferebat: simulque efficiat, vt posſitis vultu non velato gloriam Domini intueri. Deinde verò aures vnguntur, vt ad audiendum diuina mysteria aures accipiatis: De quibus dicebat Esaias: Et addidit mihi Dominus aures ad audiendum. Et Dominus in Euãgelio: Qui habet aures ad audiendum audiat: Posteà nares: Vt diuinum recipientes vnguẽtum dicatis: Christi gratus odor est Deo, in his qui saluantur. Tum verò & pectus inungitur: Vt induti thoracem iusticiæ, fortiter aduersus insultus diaboli consistatis. Vt enim saluator post Baptismum, & illum sancti Spiritus aduentum egressus in prælium, deuicit aduersarium: sic & vos post sacrum Baptisma & Chrisma mysticum, induti armis sancti Spiritus, aduersus oppositã vobis potestatem consistitis, & præliamini, dicentes: Omnia possum in eo, qui me confortat Christo.

Huius sancti Chrismatis dono accepto, meritò appellamini Christiani: veram efficientes appellationem, in ipsa regeneratione: ante enim quàm hæc gratia vobis donata esset, non eratis prorsùs digni eo nomine, sed pergentes eò vsq; progressi estis, vt efficeremini Christiani.

Fuerit autem operæpretium ne ignoretis, in veteri etiam lege, huius

ge,huius Chriſmatis ſymbolum præceſsiſſe.Moyſes enim quando fratrem ſuum ſecundum mandatum Dei, ſummum ſacerdotem conſtituit,poſtquàm lauit aqua,vnxit eundem:Atque ab eo videlicet typico vnguento vocatus eſt Chriſtus.Ad eundem modũ cum ſummus Pontifex Solomonẽ promouerat in regẽ,poſtquàm lauit in Geon,vnxit eundẽ.Sed hæc quidẽ in figura cõtingebãt illis,nobis verò nõ in figura,ſed in veritate. Quãdoquidẽ à Spiritu ſancto verè vncti eſtis,caput eſt & principiũ noſtræ ſalutis Chriſtus:Ille enim eſt verè primitię,nos autẽ cõſperſio:ſi autẽ primitię ſanctę,proculdubio & in cõſperſionẽ ſanctitas trãſibit. Hãc cõſperſionẽ ſeruate incorruptam:de omnibus enim docere poterit,ſi in nobis maneat, ſicut paulò antè ex Ioanne audiſtis, cùm multa de Chriſmate loqueretur,& deſſereret.Eſt enim hoc ſanctum,ad protegendum corpus ſpiritualiter,& ad ſalutem animæ.De quo & Eſaias olim vaticinatus eſt:Et faciet,inquit,Dominus,omnibus gentibus in hoc monte (montem autem appellat Eccleſiam, de qua etiam alibi dicit: Et erit in extremis diebus conſpicuus mons Domini)vinum bibent, lætitiam bibẽt, vnguento vngentur. Atque vt eò magis te confirmet ad aduentum, de hoc vnguento tanquàm myſtico dixit:Trade hæc omnia gentibus: voluntas enim Domini ſuper omnes gentes.Sic igitur perunctiſancto Chriſmate,intemeratum id,& impollutum in nobis, proficientes in bonis operibus cuſtodite,& placentes Chriſto ſalutis noſtræ principi,& auctori,cui glora in ſecula ſeculorum.

CATECHESIS MYSTAGOGICA QVARTA:

de corpore & sanguine Christi. & lectio ex epistola ad Corinthios: Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.

HAEC beati Pauli doctrina, satis potest efficere vos certissimos de diuinis mysterijs, quæ vobis donata sunt, qui facti estis Christi corporis & sanguinis comparticipes. Ille enim modò clamabat: Quòd nocte, qua Dominus noster IESVS Christus tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dedit discipulis suis, dicens: Accipite, manducate, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, agensque gratias dixit: Accipite, bibite, hic est sanguis meus. Cùm igitur Christus ipse sic affirmet atque dicat de pane, hoc est corpus meum: quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante & dicente: Hic est sanguis meus, quis, inquam, dubitet, & dicat non esse illius sanguinem? Aquam aliquando mutauit in vinum, quod est sanguini propinquum, in Chana Galileæ, sola voluntate: & non erit dignus cui credamus, quòd vinum in sanguinem transmutasset? Si enim ad nuptias corporeas inuitatus stupendum miraculum operatus est, & non multò magis corpus, & sanguinem suum filijs sponsi dedisse illum confitebimur? Quare omni cum certitudine corpus & sanguinem Christi sumamus: Nam sub specie panis datur tibi corpus: & sub specie vini datur sanguis, vt sumpto corpore & sanguine Christi, efficiaris ei comparticeps corporis & sanguinis, Χριστοφόροι γινόμεθα. Sic Christophori erimus, hoc est, Christū ferentes, cùm eius corpus & sanguinem in membra nostra receperimus: atque ita vt beatus Petrus dicit, diuinæ naturæ consortes efficiemur.

Olim Christus cum Iudæis differens dicebat: Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meū, non habebitis vitam in vobis. Illi verò non audientes ea secundum Spiritum, scādalizati, abierūt retrò: eò quòd existimarent sese ad humanarum carnium esum incitari.

Erant & in veteri testamento panes propositionis: sed illi ad legem veterem pertinentes finem adepti sunt. At in lege noua panis cælestis, poculumque salutis, animam & corpus sanctificant: sicut enim panis corpori, sic & verbum animæ conuenit. Ne ergo consideres tanquàm panem nudum & vinum nudum: corpus enim est & sanguis Christi, secundum ipsius Domini verba. Quamuis enim sensus hoc tibi suggerit, tamen fides te confirmet, ne ex gustu rem iudices, quin potiùs habeas ex fide pro certissimo,

tiſsimo,ita vr nulla ſubeat dubitatio, eſſe tibi donata corpus & ſanguinem.Explicat hanc vim Dauid his verbis:Paraſti in cõſpectu meo menſam,aduerſus eos qui tribulant me. Quod hic dicit tale quiddam eſt.Ante tuum domine aduentum dæmones hominibus menſam pollutam,& diabolica contaminatam facultate parabant: ſed poſteaquàm tu adueniſti, paraſti in conſpectu meo menſam, quid aliud ſignificat,niſi myſticam illam & ſpiritualem menſam,quam Deus nobis propoſuit, aduerſariam illi, quæ nobis anteà parabatur à dæmonibus,communionem habebat,hæc cum Deo habet.Impinguaſti in oleo caput meũ.Impinguauit tuum caput in fronte per ſignaculum Dei. Et calix tuus inebrians me,quàm præclarus eſt.Vides hîc dici de calice, quem IESVS accipiens,gratias egit & dixit: Hic eſt ſanguis meus,qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Idcircò & Solomon,cùm in Eccleſiaſte hanc eandem gratiam in ænigmate ſignificaret:Age,inquit,manduca in lætitia panem tuum, videlicet panem ſpiritalem:& bibe vinum in corde bono:ſpiritale ſcilicet,vinum.Et oleum ſuper caput tuum effundatur. Vides quomodo ille etiam myſticum Chriſma in ænigmate denotat?&ſemper ſint alba veſtimenta tua:quoniam facta tua Domino placuerunt.Ita ſanè exutis veſtibus antiquis,& ijs,quæ ſunt ſecundum ſpiritum alba,indutis, perpetuò iam in albis incedere oportet. Non hoc ideò dicimus, quaſi alba te ſemper veſtimenta habere ſit neceſſe,ſed quod his quæ verè alba,ſplendida &ſpiritalia ſunt, veſtiri te oporteat,vt cũ Eſaia poſsis dicere: Exultet anima mea in Domino:Induit me veſte ſalutis, & tunicam lætitiæ circundedit mihi.

Hoc ſciens & pro certiſsimo habens,panem hunc qui videtur à nobis,non eſſe panem,etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat,ſed eſſe corpus Chriſti. Et vinum quod à nobis conſpicitur, tametſi ſenſui guſtus vinum eſſe videatur:non tamen vinum,ſed ſanguinem eſſe Chriſti. Et quia de hoc dixerat olim Dauid in Pſalmo: Panis cor hominis confirmat,vt exhilaret faciem in oleo.Confirma cor tuum,participans de hoc pane, vt ſpiritali: Et exhilara faciem tuam, quam vtinam reuelatam habeas, vt poſsis in pura conſcientia gloriam Domini ſpeculari, transformatus à gloria in gloriam:In Chriſto IESV Domino noſtro,cui honor & gloria,& potentia,in ſecula ſeculorum,Amen.

CATECHESIS MYSTAGOGICA QVINTA:

Ex epiſtola Petri Catholica: Itaque abijcientes omnem immunditiam, & omnem dolum ac detractionem: & quæ ſequuntur.

SAtis iam Deo fauente, & de baptiſmo & de Chriſmate, & de ſumptione corporis & ſanguinis Chriſti, in ſuperioribus ſacris inſtructionibus audiſtis: nunc verò ad reliqua tranſeundum eſt: atq; hodie ſpiritali noſtræ vtilitatis ædificationi coronis imponenda.

Vidiſtis igitur Diaconum aquam lauandis manibus porrigentem Sacerdoti, & illis qui circum altare Dei ſtabant, presbyteris. Num ideò prorſus dabat, vt ſordes corporis abluerētur? Nequaquam. Nec enim adeò ſordibus corporis fœdati in Eccleſiam ingredi ſolemus. Sed illa manuum ablutio, ſymbolum eſt, oportere nos à peccatis omnibus, & iniquitatibus mundari. Cùm enim per manus deſignentur actiones, lauare certè eaſdem, mūditiem & puritatem operum ſignificat. Nónne audiſti Dauid myſteria tractantem iſta, & dicentem: Lauabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine. Itaque manus abluere, eſt ſymbolum non obnoxium eſſe peccatis.

Deinde clamat Diaconus: Complectimini & oſculemini vos inuicem atque tunc mutuo nos oſculo ſalutamus. Non hoc ita accipias, quaſi oſculum illud ſit eiuſcemodi, quale in foro inter communes amicos eſſe conſueuit: neque enim tale eſt. Hoc igitur oſculum animas mutuò conciliat, & omnem malorum obliuionem illis ſpondet. Signum igitur eſt hoc oſculum reconciliationis animorum, vniuerſæque iniuriarum memoriæ deletæ. Propterea & Chriſtus Dei filius dicebat? Cùm offers munus tuū ad altare, & illic recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduerſus te, relinque munus tuum ad altare, & vade priùs reconciliare fratri tuo, & tunc accedens offer munus tuum. Igitur oſculum hoc reconciliatio eſt, atque idcirco ſanctum. De quo & Paulus dicit: Salutate vos inuicem in oſculo ſancto. Et Petrus inquit, in oſculo dilectionis.

Poſteà clamat Sacerdos: Surſum corda. Verè enim circa illam maximè tremendam horam ſurſum ad Deum corda leuare neceſſe eſt, & non deorſum ad terram, terrenaque negotia deprimere. In hanc igitur ſententiam omnibus præcepit Sacerdos, curas ſcilicet vitæ huius omnes, & domeſticas ſolicitudines, illa hora relinquere, & cor in cœlo habere apud Deum generis humani amatorem. Vos deinde reſpondetis: Habemus ad Dominum, aſſentien-

sentientes ei profitendo. Nullus autem sic consistat, vt ore quidem dicat, Habemus ad Dominum: mente verò circa vitæ huius curas vagetur. Ac semper quidem Dei meminisse debemus: sed si id propter infirmitatem humanam fieri non possit, illa tamen maximè hora studiosè istud enitendum est.

Dicit deinde Sacerdos: Gratias agamus Domino. Certè gratias agere debemus, quòd nos adeò indignos, ad tantam gratiam vocauit: quòd inimicos sibi reconciliauit, quòd Spiritum adoptionis nobis donauit. Ad hæc vos subijcitis: Dignum & iustum est. Cùm enim nos Deo gratias agimus, dignum profectò & iustũ opus facimus. Ille autem non iustum, sed supra iustum agens, tãto nos affecit beneficio, tantaque nobis bona donauit.

Facimus deinde mentionem cœli, & terræ, & maris, solis & lunæ, & syderum, ac vniuersæ creaturæ, tam ratiõe præditæ, quàm irrationalis: tam istius quæ videtur, quàm illius, quæ sub aspectum nostrum non cadit: angelorum, archãgelorum, virtutum, dominationum, principatuũ, potestatum, thronorum, & Cherubim, faciem operientium, quasi diceremus illud Dauidis: Magnificate Dominum mecum. Commemoramus etiam illa Cherubim, quæ in spiritu sancto cernebat Esaias, circumstantia thronum Dei: ac alijs quidem duabus faciem velantia, atque dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth.

Propterea enim traditam nobis hanc Seraphicam theologiã recitamus, vt in illa cœlesti hymnodia, cum supramundana militia communicemus: atque sic per eiusmodi hymnos nos ipsos sanctificantes, Deum benignissimum oramus, vt super illa proposita, sanctum spiritum emittat, vt panem quidem faciat corpus Christi, vinum verò sanguinẽ Christi. Omninò enim quod attigerit spiritus sanctus, hoc sanctificatur & transmutatur.

Deinde verò postquàm confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum, pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro socijs, pro ęgrotis & afflictis, & in summa pro his omnibus qui egent auxilio. Indigemus autem omnes. Cùm hoc sacrificium offerimus, posteà facimus mentionẽ etiã eorũ, qui ante nos obdormierunt. Primũ Patriarcharũ, Prophetarũ, Apostolorũ, Martyrũ, vt Deus oratio. iub⁹ iilorũ & deprecationib⁹ suscipiat preces nostras. Deinde pro defunctis sanctis Patribus & Episcopis, deniq; pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum iuuamen, pro quibus offertur obsecratio, sancti illius & tremendi

tremendi, quod in altari positum est, sacrificij. Quod exemplo nobis demonstrare volumus. Scio enim multos dicere. Quid iuuat animam in peccatis ex hoc mundo decedentem, etiamsi in hoc sacrificio mentio illius fiat? An enim si rex aliquis eos à quibus offensus est, in exilium pepulerit, posteà verò illorum propinqui, coronam aliquam conficientes, pro his qui sunt in supplicio, exulibus, eidem offerent, nonne condonationem aliquam suppliciorum ipsis dederit? Ad eundem modum & nos, pro defunctis precationes adhibentes, quamuis sint peccatores, non quidem coronam plectimus, sed Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, vt & nobis, & illis, eum qui est benignissimus, propitium reddamus.

Posteà dicitis illam orationem, quam Saluator suis discipulis tradidit, cum pura conscientia patrem nuncupantes Deum, atq; dicentes: Pater noster qui es in cœlis. O maximam Dei benignitatem, his qui defecerant ab illo, & in extrema inciderant mala, tantam præstitit malorum obliuionem, & gratiæ participationem, vt patrem sese appellari voluerit, Pater noster qui es in cœlis. Cœli sunt, qui cœlestis Adam fuerunt imago, in quibus Deus habitat & inambulat. Sanctificetur nomen tuum. Sanctum est naturâ nomen Dei, siue id nos dicamus, siue non dicamus. Quia verò in ijs qui peccant aliquando profanatur, sicut scriptum est: Propter vos nomen meum blasphematur inter gentes, idcircò petimus in nobis sanctificari nomen Dei: non vt ex eo quod non fuisset tale, esse incipiat, sed vt in nobis sanctificatis, & quæ sanctificatione digna sunt facientibus, sanctum fiat. Adueniat regnum tuum. Mundę est animæ, dicere confidenter: Adueniat regnum tuum. Audisti enim Paulum dicentem: Non igitur regnet peccatum in corpore vestro mortali, sed qui se emundauerit, & operatione, & cogitatione, & sermone, dicet Deo: Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. Diuini beatique Angeli Dei, voluntatem illius semper faciunt, sicut inquit Dauid: Benedicite dominum omnes angeli eius potentes virtute, facientes voluntates eius. Perinde igitur hoc est, quasi precando dicas: Sicut in angelis fit voluntas tua, sic & in terra in me fiat Domine. Panem nostrum ἐπιούσιον id est, supersubstantialem da nobis hodie. Panis hic communis, nõ est ἐπιούσιος, id est, supersubstantialis. Panis verò iste sanctus, supersubstantialis dicitur, eo quòd substantiam animæ confirmet. Panis hic non in vẽtrem descendit, & in secessum emittitur, sed per te totum, ad corporis & animæ vtilitatem distribuitur. Hodie autem dicit, pro

quotidiè:

quotidiè: ſicut & Paulus: Donec inquit, hodiè cognominabitur. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Multa enim habemus peccata, & offendimus tum ſermone, tum cogitatione, plurimaque damnationis opera facimus. Et ſi dicamus, quia peccatum non habemus, mentimur, vt dicit Ioannes. Cum Deo igitur pacta inimus, quando petimus remitti nobis peccata, ſicut & nos proximis debita remittimus. Cogitantes ergo pro quantulis, quanta accipiamus, ne cunctemur, & mutuas inter nos offenſiones ignoſcere, non tergiuerſemur. Exigua, leuia & facilia ad remittendum ſunt noſtra in proximos peccata: quæ verò fiunt à nobis contra Deum, ea ſunt maxima, hac ſola indigentia benignitate. Aduerte igitur, ne ob aliqua parua & leuia aduerſum te peccata, proximo non condonata, tibi ipſi præcludas apud Deum grauiſsimorum peccatorum condonationem. Et, Ne nos inducas in tentationem Domine. Nunquid hîc docet nos Dominus orare, vt ne omninò tentemur? Quomodo ergo alibi dictum eſt: Vir non tentatus, non eſt probatus. Et iterũ: Omne gaudiũ exiſtimate fratres mei, cũ in varias incideritis tẽtationes. Sed iſtud fortè eſt ingredi in tẽtationẽ, cùm aliquis tẽtatione obruitur. Videtur enim eſſe tẽtatio, veluti torrẽs aliquis trãſitu difficilis. Qui ergo in huiuſcemodi torrẽte nõ ſubmergũtur, optimi natatores facti, traijciũt, neq; deinceps vnquam ab illo detrahuntur. Qui verò ſecùs affecti ſunt, quum primùm in aliquam tentationem fuerint ingreſsi, ſtatim ſubmerguntur. Verbi gratia: Iudas in auaritiæ tentationem ingreſſus, nõ eam ſuperauit, verùm ſubmerſus, & corpus & animam. Petrus ingreſſus in eam, qua Chriſtum negauit, tentationem, non eſt ſubmerſus, ſed ſtrennuè tranans, à tentatione liberatus eſt. Audi rurſus alibi vniuerſum ſanctorum chorum, quòd à tentatione liberati ſunt, gratias agentem. Probaſti nos DEVS, igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum. Induxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationem ſupra dorſum noſtrum. Adduxiſti homines ſuper caput noſtrum. Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Vides ipſos liberè de tranſitu tentationis loquentes, atque profitentes, ſeſe in illa non hæſiſſe. Eduxiſti nos, inquiunt, in refrigerium. Educi in refrigerium, eſt liberari à tentatione. Sed libera nos à malo. Si hoc quod dicitur, Ne inducas nos in tentationẽ, omninò non tentari, ſignificaret, nõ ampliꝰ adieciſſet, Sed libera nos à*malo. Malus autẽ eſt aduerſariꝰ noſter diabolus, à quo liberari petimus. Tũ verò expleta oratiõe, dicit Amẽ: (quod ſignificat fiat) totã hãc q̃ à Deo dicimꝰ orationẽ.

*ab inimico Inimicus autem.

Sacerdos autem posteà dicit: Sancta sanctis. Sancta scilicet ea quæ in ara proposita sunt, aduentu spiritus sancti sanctificata: sancti & vos cùm sitis, sancto spiritu donati, atque ita sancta sanctis conueniunt. Vos deinde respondetis: Vnus sanctus, vnus Dominus IESVS Christus. Verè vnus est ille sanctus, qui est naturâ sanctus: vos autem etsi sancti sitis, non tamen naturâ, sed participatione, exercitio & precatione.

Audistis deinceps diuina quadam melodia psallentem, atque ad sacrorum mysteriorum communionem vos adhortantem: Gustate & videte, quòd Christus est Dominus. Num hoc corporeo palato vt istud dijudicetis, vobis præcipitur? Nequaquã, sed potiùs fide certa, & omnis dubitationis experti. Gustantes enim non panem, aut vinum vt gustent, iubentur, sed quod sub specie est, (videlicet panis & vinum) corpus & sanguinem Christi. Accedens autem ad communionem, non expansis manuum volis accede, neque cum disiunctis digitis, sed sinistrã, veluti sedem quandam subijcias dextræ, quæ tantum Regem susceptura est: & concaua manu suscipe corpus Christi, dicens: Amen. Sanctificatis ergo diligenter oculis, tum sancti corporis contactu communica. Caue autem, ne quid inde excidat tibi: quod enim amittas, hoc tanquàm ex proprio membro amiseris. Nam si quis tibi ramenta aurea daret, nónne magna cum diligentia illa teneres, cauens, ne quid ex illis periret, damnumque sustineres? Et non multò magis & diligentius de hoc, quod auro gemmisque pretiosius est, ne mica aliqua ex illo cadat, prouidebis. Tum verò post cõmunionem corporis Christi, accede & ad calicem sanguinis illius, non extendens manus, sed pronus adorationis in modum, & venerationis, dicens: Amen. Sanctificeris eo sanguine Christi, quẽ assumis: & cùm adhuc est humiditas in labijs tuis, manibus attingens, & oculos, & frontem, & reliqua sensuum organa consecra. Postremò expecta oratione, Deo gratias age, qui te tantis mysterijs dignum reddidit. Retinete has traditiones, & sine vllius offendiculo vosmet seruate: atque à cõmunione vos non præcidatis: neque propter inquinamentum peccati, sacris hisce spiritalibusque mysterijs vos ipsos priuetis. Deus autem pacis perfectè vos sanctificet, vt integrum corpus vestrum, & anima in aduentu Domini nostri IESV Christi conseruetur. Cui gloria, honor & potentia, Patri & Filio, & Spiritui sancto, in secula seculorum, Amen.

MEN-

CYRILLI ARCHI-

EPISCOPI HIEROSOLYMORVM EPISTOLA, AD CONSTANTIVM Imperatorem pientiſsimum.

De Signo CRVCIS in cœlo ex lumine Hieroſolymis apparente.

IMPERATORI DEODILECTISSIMO ET PIENTISSIMO,

CONSTANTIO AVGVSTO,

Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymitanus in Domino ſalutem.

PRIMAS haſce ex Hieroſolymis ad te Deodilecte Imperator, mitto literarum primitias, quas & te deceat accipere, & me dare: non verborum adulationibus refertas, ſed cœleſtium diuina declarantes prodigia: neque ſermonum oratorio ſplendore perſuaſiones aliquas continentes, ſed ſanctorum angelorum oſtentis, per rerum euentum teſtãtes veritatem. Ac alij quidem, vnde habent honorem, aureas coronas gemmis ſplendidiſſimis exornatas adferentes, caput tuum perſæpè coronant: nos autem non rebus hiſce terrenis: quæ enim de terra ſunt, finem habent terram: ſed cœleſtium rerum diuinam virtutem, tempore Deodilecti regni tui, Hieroſolymis apparentem, pietati tuæ in noticiam ſtudiosè deducimus: Non vt nunc primum ex ignorantia peruenias in Dei cognitionẽ: (videris enim ipſe iam alios poſſe docere, in quibus piè agis) ſed vt iſta perſpiciens confirmeris, & regni à parentibus accepta hæreditate, amplioribus te diuinitùs coronis cœleſtibus honoratum non ignorans: Deo vniuerſorum regi, & nunc eas quas decet gratias agas: & deinceps maiorem animum aduerſus hoſtes geras: Reuerà enim imperium tuum amatur à Deo: quandoquidem hoc tempore tuo tanta prodigia monſtrare non dubitat. Ac tempore quidem Deodilectiſsimi & beatæ memoriæ Conſtantini patris tui, ſalutare

CRVCIS lignum Hierosolymis repertum est:diuina gratia cõ cedente ei,qui rectè quærebat pietatem, etiam abstrusam locorum sanctorum inuentionem: Tempore verò tuo domine omnium pientissime Imperator,qui tua erga Deum pietate maiori, parentes tuos superasti, non iam amplius de terra, sed de cœlis sunt prodigia:quoniam domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, vnigeniti filij Dei, mortis deuictæ tropheum, beata inquam CRVX,splẽdoribus luminis choruscãs Hierosolymis apparuit.

Sanctis enim hisce diebus sanctæ pentecostes, circiter horam tertiam,omnium maxima CRVX,ex lumine constituta in cœlo,super sanctissimum montem Golgotham, & vsque ad sanctũ montem olyuarum extensa,apparuit: non vni aut alteri tãtum visa:sed vniuersæ ciuitatis multitudini manifestissimè ostensa: neq; vt aliquis fortè putauerit celeriter secũdũ phantasiã percurrens:sed compluribus horis supra terram apertè conspecta,choruscis splendoribus radios superans solares: nam si ab illis superaretur,certè obfuscaretur,& lateret. Adeò excellentiores quàm sol emittebat fulgores, vt illicò vniuersa ciuitatis multitudo,ad sanctam ecclesiam concurreret,metu illius diuini prodigij, non sine lætitia concitata,iuuenum simul & senum, virorum & mulierum,& omnis ætatis,ad ipsas vsque in thalamis per domos recumbentes puellas,vicinorum hospitum Christianorum,& aliunde aduenientium ethnicorum, ingens erat spectaculum,qui tum concordi,& vno ore omnes,Iesum Christum dominum nostrum,filium Dei vnigenitum,eiusmodi mirabilium effectorem laudabant:reipsa & experientia discentes, quod Christianorum pientissimum dogma,non est in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis,sed in ostensione spiritus & virtutis, non ab hominibus tantùm annuntiatum, sed de cœlis diuinitùs testificatum. Cùm igitur nos incolę Hierosolymitani,paradoxum hoc prodigium hisce oculis percepissemus, Deo quidem omnium regi,& filio Dei vnigenito,ita vt æquum est, gratias cum adoratione egimus,& preces pro tua Deodilecta potentia,in his locis sanctis effudimus: Operæpretium autem putaui, cœlestes hasce & diuinas ostensiones silentio non præterire:quin potiùs bonum nuncium tibi,diuinamque ex his benignitatem, per has literas studui adferre:vt in bono fundamento,anteà partæ fidei,ex his quę subitò diuinitusque demonstrata sunt,ampliorem extruens notitiam,firmiorem in dominum nostrum Iesum Christum spem assumas:atque confidens, & omni fortitudine repletus tãquàm is,qui desuper Deum habet socium,Crucis tropheum efferas honorifi-

E * 097642

norificentiſsimè,gloriationē gloriationum,ſignum producens, quod in cœlo oſtenſum eſt:cuius effigiem cùm oſtēderet hominibus, etiam cœlum multùm gloriabatur,& lætabatur.

Atque hoc quidem prodigium Imperator Deodilectiſsime, Prophetarum teſtimonijs,ac verbis Chriſti, quę ſunt in Euangelijs,prædictum:& nunc iam peractum eſt, & deinceps amplius perficietur.Nam in Euangelio ſecūdum Matthæum,cùm Saluator rerum futurarum cognitionem,beatis Apoſtolis ſuis traderet,& per illos alijs qui cum eo verſabātur,apertiſsimè prædixit: Et tunc,inquit, apparebit ſignum filij hominis in cœlo: Quem ſacrum Euangeliorum librum de more in manum accipiens, quæ de iſto ſigno ibi ſunt prædictiones & teſtimonia ſcripta reperies:quibus Euāgelijs vt maius adhibeas ſtudium, te domine admoneo:propter earum quæ reliqua iſtic deſcripta ſunt ſeriem rerum à Saluatore prædictarum, & magna indigentium obſeruatione non ſine pietate,ne aliquod ab aduerſaria virtute detrimentum patiamur.

Has tibi Imperator Deodilectiſsime, ſermonum meorum offero primitias:has ab Hieroſolymis primas annuntio voces, tibi maximè germano,& omnis pietatis ſtudioſo, Chriſti vnigeniti filij Dei,& Saluatoris noſtri,vnà nobiſcum adoratori:qui ſecundum diuinas ſcripturas Hieroſolymis mundi operatus eſt ſalutem,qui mortem quidem hîc perpeſſus eſt,proprioq́; ac pretioſo ſanguine ſuo,hominum peccata deleuit:vitam verò & incorruptibilitatem ſpiritalem,cœleſtemq́; gratiam credentibus omnibus præbuit.Cuius potentia & gratia te cuſtoditum &,lætantem,ſplendidioribusq́; ac maioribus in officijs pietatis verſantē, atq; filium proprium regijs inſignientem ornamentis: ipſe Rex omnium Deus,totius beneficentiæ exhibitor, multis annorum periodis pacificis,ad honorem & gloriam Chriſtianis, mundoq́; vniuerſo ſeruet perpetuo:potentioremq́; te efficiat,& omni ornatum virtute,vt pro more ſanctarum eccleſiarum, Imperijque Romani,humanitatem demonſtres, & amplioribus pietatis coronis, in multos annorum circulos quietos reſplendeas:

Deus vniuerſorum id nobis concedat, Auguſte Imperator Deodilectiſsime,laudantibus ſemper ſanctam & ὁμοούσιον,id eſt conſubſtantialem trinitatem,verum Deum noſtrum, quem decet omnis gloria in ſecula ſeculorum,Amen.

BENEDICES
CORONAE
ANNI BENI-
GNITATIS
TVAE.
Psalm.64.